CONCILIA

PROVINCIALIA,

BALTIMORI

HABITA

Ab anno 1829 usque ad annum 1849.

EDITIO ALTERA.



BALTIMORI:
APUD JOANNEM MURPHY ET SOCIUM,
TYPOGRAPHOS AC BIBLIOPOLAS.
VIA MERCATORIA, No. 178.
MDCCCLI.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

262.419.73
C744a

ENTERED according to the Act of Congress, in the year one thousand eight hundred and fifty-one, by JOHN MURPHY, in the Clerk's Office of the District Court of Maryland.

TYPIS JOANNES MURPHY ET SOCII.

MONITUM.

ANNO 1791, ven. JOANNES CARROLL, tunc Episcopus Baltimorensis, Synodum Diœcesanam habuit, ad eam convocatis Missionariis qui sacro Ministerio sub ipsius jurisdictione operam dabant. Idem sa. me. Præsul, Archiepiscopus renuntiatus, post consecrationem suorum Suffraganeorum, Conventum habuit an. 1810, atque unà cum illis articulos quosdam disciplinæ condidit. De hac Synodo et Conventu ita locuti sunt Patres Concilii Baltimorensis Provincialis 1, in Congregat. priv. habitâ die 13 Oct. 1829: "Cùm temporum locorumque adjuncta "spectamus in quibus versabatur venerabilis memo- "riæ JOANNES CARROLL, Episcopus Baltimorensis, "quando habuit Synodum Diœcesanam anno 1791, "valdè admiramur quo fidei studio, prudentiâ et "scientiâ, plurima in Ecclesiæ utilitatem statuerit. "Magni etiam facimus quæ ad nos pervenerunt ab "eodem venerabili Præsule, postquàm ad dignitatem

"Archiepiscopalem evectus est, gesta unà cum aliis "hujus Provinciæ Episcopis, anno 1810. Iis plurima "contineri agnoscimus quæ utilitatem ac ædificatio- "nem magnam afferunt; et volumus eadem Acta, "prout edita sunt à proximè defuncto Archiepiscopo,* "doctrinâ et studio fidei venerabili, iterùm edi unà "cum hujus Provincialis Concilii decretis." Morem igitur gerentes Patrum Concilii I Baltimorensis voluntati, huic Editioni Conciliorum Provincialium Acta et Statuta Synodi Baltimorensis anno 1791 celebratæ, nec non Articulos disciplinæ Conventûs anno 1810 habiti, præfiximus.

* *Revmo D. Ambrosio Marechal.*

STATUTA

SYNODI BALTIMORENSIS ANNO 1791 CELEBRATÆ.

REVERENDISSIMUS Episcopus Baltimori per litteras ad suum clerum directas die 27 Octobris, anno 1791, significavit sibi statutum esse, synodum Diœcesanam celebrare in Ecclesiâ Baltimorensi, die 7 Novembris ejusdem anni, omnesque suæ Diœceseos sacerdotes qui animarum saluti et sacris ministeriis legitimè vacabant, ad hanc synodum invitavit.

Huic igitur convocationi morem gerentes, die constitutâ convenêre ad ædes Episcopales Clerici sequentes:

Jacobus Pellentz, *Vic. Gen. per totam Diœcesim.*
Jacobus Frambach.
Robertus Mollineux, *Vic. Gen. District. Meridionalis.*
Franc. Anton. Fleming, *Vic. Gen. Dist. Septentrion.*
Franc. Car. Nagot, *Præses Seminarii Episcopalis Sti Sulpitii.*
Joannes Ashton.
Henricus Pile.
Leonardus Neale.
Carolus Sewall.
Sylvester Boarman.
Guillelmus Elling.
Jacobus Vanhuftel.
Robertus Plunket.
Stanislaus Cerfoumont.
Franciscus Beeston.
Laurentius Gressel.
Josephus Eden.
Ludovicus Cæsar Delavau.
Joannes Tessier.
Antonius Garnier.

SESSIO I.—*Die 7 Novembris.*

POSTQUAM convenissent omnes superpelliceis induti, Episcopus autem indutus rocheto, amictu, albâ, cingulo, stolâ et pluviali, et mitram pretiosam et baculum pastoralem gerens, horâ decimâ iverunt processionaliter ad Ecclesiam Cathedralem S. Petri, in quâ omnia parata sunt, ut in Pontificali Romano; et habito sermone ab Episcopo, omnes fidei professionem emiserunt; constitutisque Promotoribus Rev. D. Leonardo Neale et Rev. D. Guillelmo Elling, et Secretario Rev. D. Francisco Beeston, Sessio prorogata est usque ad horam tertiam pomeridianam.

SESSIO II.—*Die 7 Novembris.*

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CUM nihil sit in Religione aut sanctius aut pretiosius Sacramentis, præcipuo studio laborandum est, ut illa ritè administrentur, et dignè suscipiantur. Initium igitur ducendo à Baptismo, per quem homines christianæ societati aggregantur, considerantesque nos hìc terrarum inter plures Heterodoxorum sectas versari, quæ Baptismum vel omninò non administrant, vel non nisi adultis; vel quoniam necessarium ad salutem esse negant, sunt parum in eo administrando diligentes, STATUIMUS:

1. Ut rebaptizentur sub conditione, de quorum Baptismi validitate post diligentem inquisitionem certitudo moralis nequit obtineri; ac ut infantes urgente periculo baptizati ab obstetricibus hæreticis,

aut etiam Catholicis, rebaptizentur simili modo, nisi Catholicæ tales fuerint ut nullus sit prudenti dubio locus de baptismo validè ab ipsis administrato. Cavendum tamen ab animarum Pastoribus ne, omni omissâ inquisitione, rebaptizent quoscumque, qui priùs à sacerdote non fuerint Baptizati, ne incurrant in pœnam irregularitatis latam ab Alexandro Papâ III contra baptismum iterantes.

2. Statuimus ut, quantùm à Pastoribus animarum fieri poterit, omnium à se baptizatorum nomina et ætas, itemque Parentum et Patrinorum nomina, in librum specialiter huic usui destinatum referantur.

3. Quando hæretici adulti priùs validè baptizati ad fidem convertuntur, exigendum non est ut omissæ baptismi ceremoniæ suppleantur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

4. Generatim loquendo, pro hac Diœcesi *statuimus* sacramentum confirmationis non priùs conferendum pueris, quàm rationis usum attigerint, ac sacramenti pœnitentiæ suscipiendi capaces fuerint; quamvis non rarò ob circumstantias particulares etiam junioribus conferendum sit.

SESSIO III.—*Die* 8 *Novembris.*

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

5. UT SS. Eucharistiæ sacrificium cum omni reverentiâ ac debito honore celebretur, atque ut Fideles magis magisque excitentur ad summam devotionem erga immensum hoc divinæ in nos misericordiæ pignus: Volumus ut populus frequenter

moneatur quàm indecorum sit omnia quæ sacrificio inserviunt vilia esse et squalida; non vestes, non pannos, non candelas cereas, non sacra vasa tantis mysteriis conficiendis esse congruentia. Moneantur Fideles de summâ diligentiâ, quâ Deus in veteri Testamento præcepit ut omnia curarentur ad Divinum cultum spectantia: quantò potiùs igitur hoc à Christianis fieri convenit, qui non, ut Judæi, umbram bonorum possident, sed ipsam veritatem tenent, atque figurarum omnium complementum! Moneantur item de oblationibus quas in sacrificio primi Christiani semper contulerunt; doceanturque ipsos divinæ gloriæ maximè incurios esse, qui nihil conferunt ad ea suppeditanda, sine quibus Religionis exercitiis sua dignitas et auctoritas videtur detrahi, et SS. Eucharistiæ cultus multùm imminuitur.

6. Statuimus igitur ut in singulis congregationibus duo aut tres præcipuæ virtutis ac auctoritatis viri, tanquàm Ecclesiæ curatores à Pastore, vel ab ipsis congregationibus eligantur, atque ut Dominicis et Festis diebus curatores taliter constituti, post lectum in Missâ Evangelium, collectionem oblationum faciant.

7. Oblationes, juxta antiquum Ecclesiæ morem, dividantur in tres partes, si necesse fuerit; ita ut una Sacerdotis sustentationi, una sublevandis pauperum necessitatibus, et altera comparandis quæ sunt divino cultui necessaria, et fabricæ Ecclesiarum applicetur. Si verò aliundè sanctuarii ministris de alimoniâ, et pauperibus de sublevandâ inopiâ provisum fuerit, omnes oblationes conferantur ad comparanda vasa sacra, ceteraque divino cultui necessaria, et ad Ecclesias reparandas, vel opportunis locis construendas.

8. Factæ à Fidelibus oblationes ut Deum sibi suisque per SS. Missæ sacrificium propitium reddant, ita recipiantur ab iis qui altari deserviunt, ut omnem avaritiæ aut simoniacæ labis speciem evitent, eoque stipendio contenti sint quod neque grave erit conferentibus, neque ita modicum ut sacerdotale ministerium vile ac nullius valoris ab imperitis existimari possit.

9. Pro exhibendâ majori erga venerabile Missæ sacrificium reverentiâ, sacerdotes in eo celebrando veste talari nigrâ semper utantur, quantùm sine magno incommodo fieri poterit; ac eâdem etiam in ceteris ministeriis publicis cum superpelliceo induti appareant.

10. Experientiâ notum est multùm conferre ad omnem reliquæ vitæ rationem, atque adeò ad æternam cujusque salutem, quâ animi præparatione primâ vice sanctum Eucharistiæ sacramentum sumpserit: quare omnis ab animarum Pastoribus adhibenda est diligentia, ut ante primam communionem juvenes in doctrinâ Christianâ sint probè educati, ac præcipuè ut conscientias ab omni gravioris peccati labe integras habeant; ad quem finem eos monere oportebit ut generalem anteactæ vitæ confessionem, post sedulum suî examen, et cum magnâ cordis contritione, communioni præmittant. Cavendum quoque erit Pastoribus ne hujus primæ communionis tempus nimiùm protrahatur, neque tamen ut ad illam admittantur statim ac rationis usum adepti fuerint. Sed quoniam summa Eucharistiæ excellentia majorem exigit judicii maturitatem, perfectior rationis usus est expectandus.

SESSIO IV.—*Die* 9 *Novembris.*

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

11. UT hoc sacramento, quod sanandis conscientiarum vulneribus tam salubriter à Christo institutum fuit, imperiti aut indigni presbyteri ad animarum perniciem non abutantur, prohibemus sub pœnâ suspensionis ab omni exercitio Ordinis *ipso facto* incurrendæ, et nobis reservatæ, ne quis Sacerdos sive secularis, sive regularis, à nobis aut à Vicario nostro generali ad excipiendas confessiones non approbatus, aut cujus approbatio revocata fuerit, illi ministerio se ingerere præsumat, extra casum necessitatis. Intelligant etiam Fideles qui ad hujusmodi Sacerdotis ministerium recurrerint, sese nullatenùs à peccatis suis absolutos fuisse, sed etiamnùm remanere obnoxios oneri illa iterùm in tribunali Pœnitentiæ alteri Sacerdoti legitimè approbato exponendi.

12. Prohibemus etiam sub pœnâ suspensionis infligendæ, ne quis, relictâ Congregatione ejus curæ commissâ, ad aliam se transferat, nobis non consentientibus, et in eâ sedem figere, et munera parochialia peragere præsumat.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

13. Conferri debet hoc sacramentum etiam pueris vel puellis in articulo mortis constitutis, si rationis usum attigerint, ita ut peccati capaces sint.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

14. Vagi et peregrini ad matrimonium non sunt admittendi, nisi post tres publicationes factas juxta præscriptum concilii Tridentini, et præsertim nisi testimonium omninò sufficiens habuerint à Pastoribus loci unde discesserunt, ipsos conjugali vinculo liberos esse.

15. Nullus ad matrimonium admittatur qui doctrinam Christianam aut principalia Fidei mysteria ignorat. Hìc tamen ex concilio quodam Limano addendum duximus sequens decretum quod usui et solamini aliquandò erit animarum curatoribus in hac Diœcesi, ubi multi sunt servi Africani (ut de aliis taceamus) qui variis de causis parùm de rebus Fidei instrui possunt. Agitur enim in hoc decreto de illis hominibus qui doctrinam Christianam juxta methodum quâ ab aliis memoriæ mandatur, nullo modo addiscere valent, ad sacramenta tamen accedere, et signanter matrimonium contrahere cupiunt; atque ita cum iis agendum statuitur: "Qui verò iis tantis "impedimentis gravati fuerint, ut copiosiorem cate- "chesim non admittant, doceantur demùm pro suo "modo præcipua fidei capita, scilicet unum esse "Deum omnium rerum auctorem, qui ad se acceden- "tes vitâ æternâ remuneret, improbos et rebelles "æternis suppliciis in alio seculo puniat. Deinde, "hunc ipsum Deum esse, Patrem et Filium et Spiri- "tum sanctum, tres quidem personas, sed unum "Deum verum. Præterea, Filium Dei, propter repa- "randam salutem hominum, factum hominem ex "Virgine Mariâ, pro nobis passum et mortuum; ac "tandem resurrexisse, et regnare in æternum: hunc "esse Jesum Christum Dominum et Salvatorem nos-

"trum. Postremò, neminem posse esse salvum, nisi "credat in Jesum Christum, et pœnitens de peccatis "commissis, sacramenta ipsius suscipiat; baptismatis "quidem, si infidelis est, confessionis autem, si lap- "sus post baptismum; ac denique statuat ea servare "quæ Deus et Ecclesia sancta præcipiunt, quorum "summa est, ut Deum diligat super omnia, et proxi- "mum sicut seipsum."

16. Omnem adhibeant sollicitudinem animarum Pastores, ne Catholici ineant matrimonia cum heterodoxis: sed quoniam propter continuum inter se in omni vitæ civilis ratione commercium, fieri non potest ut hujusmodi matrimonia aliquandò non contrahantur, præcipuè in illis locis, in quibus pauci admodùm Catholici habitant; auditis super hac re Confratrum nostrorum in hac Synodo præsentium sententiis, regulas sequentes condidimus, secundùm quas circa prædicta matrimonia procedere poterunt Sacerdotes quibus in hac Diœcesi cura animarum committitur. 1. Partem Catholicam graviter ac seriò moneant de ingentibus incommodis quæ ex ejusmodi nuptiis non rarò proveniunt, hortenturque ut Christianæ fortitudinis memores sua desideria superent, ac à periculoso matrimonio abstineant. 2. Si viderint Pastores sua monita ad matrimonium impediendum non profutura, diligenter considerent an absit probabile periculum perversionis partis Catholicæ, casu quo ad matrimonium procedatur. 3. Inquirant etiam an pars acatholica consentiat ac parata sit coram Deo et testibus promittere, se nullatenùs obstaculo fore quominùs proles omnis ex matrimonio oriunda in verâ Religione educetur. 4. Considerent ulteriùs Pastores quid probabiliùs eventurum sit, si ipsi ministerium suum matrimonio exhi-

bere abnuerint; an hoc abrumpendum, an verò à Sacerdote catholico rejecti ad ministrum hæreticum sint sese recepturi, coramque ipso contracturi, nullâ factâ conventione de futurâ prole. 5. Si prævideatur postremum hoc probabiliùs eventurum, permittat illis Sacerdos catholicus ut coram se contrahant, ne adeant ministrum hæreticum; adhibitâ tamen priùs debitâ inquisitione, ne fortè alia impedimenta matrimonio obstent, v. g. defectus Baptismi, consanguinitas, aut quid aliud. 6. Hæ nuptiæ benedicendæ non sunt illâ benedictione quam dandam præscribit Rituale Romanum intra *Missam pro sponso et sponsâ.*

SESSIO V.—*Die* 10 *Novembris.*

Aderant, præter suprà nominatos, Rev. D. Joannes Bolton, Pastor S. Josephi; et Rev. D. Joannes Thayer, Pastor Bostonii.

DE ORDINANDIS DIVINIS OFFICIIS, ET FESTORUM OBSERVATIONE.

17. EXIGIT necessitas ut aliter ordinentur divina officia Dominicis ac festis diebus, in civitatibus ac locis ubi plures sunt Clerici aut Laici idonei et instituti ad cantum et reliqua altaris ministeria; aliter verò, ubi unicus est sacerdos, nec ullâ facultate instructus ad officia divina solemniter peragenda. In prioribus illis locis, horâ competente, decantentur Litaniæ Lauretanæ B. Virginis, hujus Diœceseos Patronæ principalis; quibus finitis, solemniter fiat aspersio aquæ benedictæ, ut in Missali præscribitur. Dein Missa cum cantu solemniter celebretur; et

solemnioribus diebus, si fieri potest, assistentibus Diacono et Subdiacono. Finito Evangelio, legantur preces præscriptæ pro omnibus ordinibus et felici statu Reipublicæ; Evangelium item proprium illius diei linguâ vernaculâ; fiant publicationes pro matrimoniis habendis, pro observandis festis diebus, aut jejuniorum, et si quæ alia occurrunt de quibus monendus est populus. Deinde sermo habeatur, qui talis sit ex quo et erudiri auditores et emendari, et ad vitæ Christianæ perfectionem animari possint. In officio pomeridiano, Vesperæ, iisque finitis, Antiphona B. Mariæ Virginis tempori propria debent cantari: dein detur Benedictio cum SS. Sacramento, et solemni cantu in ejus honorem, ac postea instructio catechistica. Optandum est ut inter officia hymni aliqui aut preces linguâ vernaculâ cantentur.

18. Ubi verò unicus est Sacerdos qui solus omnia peragat, expeditis confessionibus, omnibusque ad sacrificium paratis, recitet primò, nisi assistentes cantare velint linguâ vernaculâ, Litanias vel SS. nominis Jesu, vel Lauretanas; quibus finitis, et factâ aspersione aquæ benedictæ, Missam incipiat, peragatque usque ad Evangelium; deinde cetera prosequatur, uti superiùs dictum est: ac post Missam, ipso præsente, omnis congregatio distinctè recitet linguâ vernaculâ orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, atque Actus fidei, spei et charitatis; atque ita conventum dimittat, retentis pueris ac rudibus personis, ut illos de præcipuis fidei capitibus interroget ac instruat.

19. Initio nostri Episcopatûs, beatam Virginem Mariam in nostræ Diœceseos Patronam principalem ardentibus votis compellavimus, ut ipsâ intercedente,

fides atque omnis in Deum pietas, morumque sanctimonia in populo nobis commisso vigeant ac magis magisque augeantur. Festo die Assumptionis ejusdem beatissimæ Virginis Mariæ, in primum Baltimori Episcopum fuimus consecrati; quare singulari cultu tantam Patronam honorandam ducentes, hortamur imprimis venerabiles Confratres nostros, ut et ipsi magnâ devotione beatissimam Virginem venerentur, idemque sæpè et seriò suis ovibus commendent, atque ut in ejus patrocinio præclarum sibi præsidium constitui existiment. Statuimus insuper Dominicam quæ erit intra octavam festi Assumptionis, aut ipsum festum, si in Dominicam inciderit, tanquam Festum principale hujus Diœceseos habendum esse, in quo populus omni ratione excitandus erit ad piè sancteque suscipienda sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ. Ad fovendam autem Fidelium pietatem, Nos Sedi Apostolicæ humiles preces porrigemus pro obtinendis in hoc Festum amplissimis gratiis spiritualibus, de quibus, si concessæ fuerint, omnes fient certiores.

20. Catholici, mercatores præsertim, ac omnis generis opifices qui in oppidis degunt, non sine gravi incommodo à mercibus vendendis, aut operibus abstinere possunt, festis illis diebus quæ ab Heterodoxis similiter non servantur. Unde meritò timendum, si hoc rigorosè exigitur, aliquos futuros qui, ne tantam rerum temporalium jacturam faciant, æternæ salutis periculum incurrent. Ut igitur huic incommodo obviam eatur, Statuimus unumquemque debere Pastorem suum convenire, ejusque hac in re judicium expectare. Monemusque venerabiles Confratres nostros ut, ubi exigit gravis causa, cum ipsis dispensent in festorum observatione, relictâ tamen

obligatione Missam audiendi, si plures quàm una celebrentur in loco ubi dispensatur, vel si illi uni sine gravi detrimento assistere valeant.

DE CONSERVANDIS CLERICORUM MORIBUS.

21. Omnes Clerici in hac Diœcesi, juxta decreta variorum Canonum, et maximè concilii Tridentini, *vestes gerant suo ordini congruentes*, hoc est, quæ non solùm sint modestæ, sed etiam quæ ipsum eas gerentem aliosque moneant cujus conditionis ille sit. Quare decernimus ut Clerici semper vestes gerant vel nigras, vel nigris proximas.

22. Inhærentes decretis aliorum Episcoporum, et quantùm patitur nostra conditio, Conciliorum canonibus, *Prohibemus* ne Clerici ad cohabitandum in suis ædibus admittant fœminas de quorum moribus aliqua fuerit sinistra suspicio, aut quæ quadragesimum ætatis annum non expleverint; et Vicariis nostris generalibus committimus ut hujus decreti custodiæ summâ diligentiâ invigilent.

DE PROVIDENDA SUSTENTATIONE PASTORUM, ET PROCURANDIS IIS QUÆ AD CULTUM DIVINUM REQUIRUNTUR.

23. Crescente numero Catholicorum, iisque dispersis per varias longeque dissitas Fœderatæ Americæ plagas, opus est in Vineâ Domini multò majore quàm olim fuerat operariorum copiâ, qui tamen obtineri non possunt aut conservari, nisi subsidium pro eorum alimoniâ à fidelibus conferatur, utì divino præcepto conferre tenentur, dicente Apostolo æquum esse ut *qui spiritualia aliis seminant, de carnalibus ipsorum metant.* Itaque Fideles de hac obligatione

frequenter moneantur, cui nisi satisfaciant, sibi ipsis debent imputare quòd neque Dominicis et Festis diebus Missam audiant, neque Sacramentorum in summis suis necessitatibus fiant participes. Unde quando pro mensurâ temporalium bonorum sibi à Deo concessorum, ad salutis ministerium conferre renuunt, adeoque præcepta divina et Ecclesiastica non implent suâ culpâ, sciant se versari in statu peccati, indignos esse reconciliationis in pœnitentiæ tribunali obtinendæ, neque tantùm de suis peccatis rationem Deo reddituros, sed etiam de illorum pauperum crassâ ignorantiâ, ac vitiis, qui propter ditiorum miseram parcimoniam, instructionis Christianæ manent omninò expertes. Ut igitur quod fit in aliis orbis Christiani partibus, apud nos quoque initium habeat, jam superiùs de Fidelium oblationibus aliquod statutum fuit, ac cetera quæ hac de re dicenda sunt adjungimus in instructione quæ cum his Statutis simul mittetur, et coram omnibus legenda erit.

DE SEPELIENDIS EIS QUI TEMPORE PASCHALI PŒNITENTIÆ ET EUCHARISTIÆ SACRAMENTA NON RECIPIUNT.

24. Notum est decretum concilii Lateranensis, *Omnis utriusque sexûs*, quo præcipitur Christianis confessio et communio annua circa tempus Paschale, et decernitur contra eos qui Decreto non obtemperant, *ut vivi ab Ecclesiâ arceantur, mortui verò sepulturâ Ecclesiasticâ careant.* Pastores ne negligant singulis annis hujus decreti memoriam revocare, et si quandò contigerit quempiam è vivis discedere sine ullâ pœnitentiæ significatione, qui tam salutari præcepto morem non gessit, nihil temerè statuant de sepulturâ Christianâ ipsi dandâ vel negandâ, quoniam

verba Concilii important sententiam non latam, sed ferendam; verùm Episcopi aut Vicarii generalis judicium, si fieri potest, expectetur. Quoniam autem, propter magnam locorum distantiam, id semper fieri non potest, consideret secum prudens Pastor, 1. An mortuus, per multos annos, an autem uno tantùm vel altero, à mensâ Eucharisticâ se abstinuerit; 2. An id fecerit cum magnâ contumaciâ, et quasi contemptu Ecclesiæ; 3. an illius mores aliunde fuerint notoriè depravati, et mali exempli. 4. His concurrentibus, potestatem facimus Sacerdotibus qui animarum curam agunt, et ad nos, vel Vicarium generalem, recurrere non possunt, omnia priùs æstimando in charitate et visceribus misericordiæ erga vivos et defunctum, procedendi juxta tenorem concilii Lateranensis, si ita ad majorem Dei gloriam et animarum salutem profuturum judicaverint. Monemus autem ut nunquam non reminiscantur velle Ecclesiam hac salutari disciplinâ viventes potiùs in officio contineri, quàm punire mortuos pro quibus preces continuò offert, omnes fideles defunctos divinæ misericordiæ commendando.

His à Reverendissimo Episcopo constitutis, et habitâ cum venerabilibus Confratribus collocutione de proponendâ sanctæ Sedi erectione novæ Diœceseos intra fines hujus quæ nunc est Baltimorensis, vel de Coadjutore Episcopi Baltimorensis designando, concionem habuit Rev. D. Joannes Ashton, et deinde dicto hymno *Te Deum*, finis Synodo impositus est.

QUIDAM EX ARTICULIS
ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ,

QUOS ILLMI AC REVMI DD. ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS ET EPISCOPI AMERICÆ FŒDERATÆ, COMMUNI CONSENSU, ANNO 1810 SANXERUNT.

1. DE SACERDOTIBUS DEGENTIBUS PROPE LIMITES VARIARUM DIŒCESUM.

SACERDOTES approbati pro unâ quâvis diœcesi Fœderatæ Americæ, facultatibus suis uti possunt in vicinis Diœcesibus. Quòd si relinquant propriam suam Diœcesim sine *Exeat*, non permittuntur suis uti facultatibus ultra duos menses, nisi novas facultates obtineant ab Episcopo Diœceseos in quam migravêre; cujus officium erit cum eis se gerere juxta canones generalis disciplinæ in hujusmodi casibus præscriptos.

2. DE SACERDOTIBUS QUI PERTINENT AD SÆCULARES AUT REGULARES CONGREGATIONES.

QUANDO Sacerdotibus pertinentibus ad Sæculares aut Regulares Congregationes, è Superiorum consensu, cura animarum demandata est, judicamus eos non debere ex Superiorum suorum arbitrio pendere, ab eisque revocari, invito Episcopo. Attamen, ultrà profitemur in magno honore et æstimatione apud nos esse illas Congregationes, Diœcesibus nostris tantoperè utiles, omnimodamque fiduciam nos in

earum Superioribus reponere. Læti videbimus Diœcesanos nostros, qui Religiosam vitam ducere volunt, illarum Congregationum instituta amplecti: neque nostra mens est exigere ut sacro ministerio mancipentur illi quibus revera indigent præfatæ Congregationes; neque etiam impedire quin revocentur Sacerdotes in Missionibus laborantes, modò hæc revocatio Diœcesano Episcopo omninò necessaria ad existentiam aut prosperitatem prædictarum Congregationum esse videatur.

3. DE SCRIPTURA SACRA.

Versio veteris et novi Testamenti, vulgò vocata *Doway Bible*, ad verbum admittenda est et transcribenda, quotiescumque pars aliqua Scripturæ sacræ inseritur in manualibus precum, aliisque pietatis libris; nec ulla alia versio adhibenda est, à quolibet privato homine facta.

4. DE REGISTRIS PAROCHIALIBUS.

Omnes Sacerdotes admonentur de obligatione quâ in hac Diœcesi constringuntur comparandi sibi libros in quibus diligenter inscribantur omnia baptismata, matrimonia et sepulturæ, quæ in suis congregationibus perficiuntur.

5. DE BAPTISMO.

Uti menti Ecclesiæ consentaneum est, atque ejusdem praxi generaliter admissæ, sacramentum Baptismatis in omnibus oppidis ubi Ecclesia erecta est, extra eam non conferatur.

6. DE SPONSORIBUS.

Quando ne unus quidem sponsor obtineri potest, atque adest ratio baptizandi infantem, tunc omissis consuetis ceremoniis, ei administretur tantùm Baptisma quod vocant Privatum.

7. DE ELEEMOSYNA PRO MISSIS CELEBRANDIS.

Habita ratione pretii ciborum ceterorumque ad vitam necessariorum in dies crescentis, retributio pro unâ privatâ Missâ celebrandâ taxatur ad dimidiam partem nummi Americani.

8. DE MATRIMONIO.

Cum plures occurrerent difficultates, si præscriberemus lege generali ut omnia matrimonia in Ecclesiis celebrarentur, juxta mentem et praxim orbis Catholici, præmaturum judicavimus hac de re aliquid decernere. Verùm omnes Pastores admonemus ut hanc piam consuetudinem Fidelibus commendent, eorumque animos ad eam brevi tempore amplectendam disponant.

9. DE LUDIS PUBLICIS.

Omnes Pastores animarum iterùm atque enixè admonemus, ut Fideles sibi commissos, tum è suggestu, tum in privatis suis instructionibus magis magisque abstrahere conentur à studio et inordinato amore Ludorum et illarum oblectationum, quibus non sine periculo adesse possunt, ut est frequenter adire Theatrum, Choreis indulgere, etc. Ipsos pariter prohi-

beant ullos libros legere, quibus integritas fidei, vel morum puritas facilè corrumpi potest; atque imprimis ne indiscriminatim legant amatorias illas fabulas quas *Novels* vocant. Meminisse ipsimet Fideles continuò debent, quantâ cum severitate Ecclesia Spiritu sancto directa, omnibus temporibus proscripserit omnia scripta, quæ eò tendunt ut aliquid de summâ reverentiâ sanctissimæ nostræ Religioni debitâ detrahant.

10. DE LIBERIS MURATORIBUS.

Archiepiscopus et Episcopi injungunt omnibus Sacerdotibus qui in ipsorum Diœcesibus sacrum exercent Ministerium, ut Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta non administrent iis qui publicè cognoscuntur pertinere ad societatem Liberorum Muratorum, nisi positivè promittant se non ampliùs adituros esse illorum conventus (*Lodges*), nec unquam professuros se ad illas societates ullo modo pertinere. Insuper Pastores sæpè admonebunt populum fidelem ipsis commissum, ut inire consortium cum hujuscemodi Societatibus cautè devitet.

† Joannes, *Arch. Balt.*
† Leonardus, *Episc. Gortyn.*
† Michael, *Episc. Philad.*
† Joannes, *Episc. Bost.*
† Benedictus, *Episc. Bard.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE I,

HABITUM

ANNO 1829.

CONCILIUM PROVINCIALE I,

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI,

ANNO 1829.

EPISTOLA DEDICATORIA

Primæ hujus Concilii editionis, quæ Baltimori prodiit statim post ejusdem Concilii approbationem.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO

PATRI

GREGORIO XVI PONTIFICI MAXIMO,

ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS, CETERIQUE

FŒDERATÆ AMERICÆ PRÆSULES.

Beatissime Pater,

SIMUL atque inscrutabili Divinæ Providentiæ judicio, ac sanctæ Sedis auctoritate, Episcopali munere fungi cœpimus, nihil antiquius habuimus quàm ut veræ Fidei propagationi, ac Disciplinæ, quæ SS. Pontificum decretis sacrisque canonibus esset conformis, stabiliendæ, nisu toto incumberemus. Ad hæc porrò sanctarum synodorum celebrationem multùm conferre probè scientes, Baltimorum convenimus, et Concilium Provinciale primum mense Octobri anno 1829 habendum indiximus.

Sancti hujus Concilii, Apostolicâ auctoritate firmati Decreta, Romam ad SS. D. N. Pium fel. rec. PP. VIII transmissa, Beatissimi Patris approbatione

munita, ac roborata ad nos tandem redierunt. Eadem igitur in lucem edituri, unà cum aliis documentis, quæ successoribus nostris in posterum necessaria, aut certè perutilia fore confidimus, Opusculum tibi, SANCTISSIME PATER, dicatum et volumus, et facimus. Id namque postulat summus honoris et jurisdictionis Primatus, quo Universali Ecclesiæ præes, ac moderaris; suadet plurimorum recordatio meritorum, quibus, etiam cùm in minoribus ageres, tuam erga nos benevolentiam sæpissimè testatus es; impulit nascentis in hisce regionibus Ecclesiæ decus, honos et incrementum. Posteris enimverò, BEATISSIME PATER, jucundum præclarumque hac nostrâ agendi ratione exemplum relinquemus: cùm scilicet novi orbis Præsules veterum inhærentes vestigiis intuebuntur, atque ad Romani Pontificis pedes provolutos, laborum suorum confirmationem, iisdemque sibique ab altâ Petri Sede Apostolicam Benedictionem efflagitantes.

PROŒMIUM.

POST acceptam ab Apostolicâ Sede facultatem omnia jura Metropolitana exercendi, etiam ante Pallii receptionem, Illm̃us et Revm̃us Archiepiscopus Baltimorensis, Jacobus Whitfield, litteris suis mense Decembri anno 1828 datis, Præsules Provinciæ Baltimorensis ad Concilium, die primâ mensis Octobris anno 1829, in ipsâ Urbe Baltimoro celebrandum convocavit. Revm̃um quoque Episcopum Sancti Ludovici, Neo-Aureliæ administratorem, S. Sedi immediatè subjectum, eo quòd Diœceses quibus præest intra Fœderatæ Americæ limites sitæ sint, invitavit ut, salvis ceteroquin suis privilegiis, Concilio interesset. Præsules Archiepiscopi votis læti et alacres annuêre. Adfuerunt igitur:

Illustrissimus Archiepiscopus Baltimorensis, Jacobus Whitfield, consecratus anno 1828, die verò Maii 25;

Revm̃us Episcopus Bardensis, Benedictus Joseph Flaget, consecratus die 4 Novembris anno 1810;

Revm̃us Episcopus Carolopolitanus, Joannes England, consecratus die 21 Septembris anno 1820;

Revm̃us Episcopus Cincinnatensis, Eduardus Fenwick, consecratus die 13 Januarii anno 1822;

Revm̃us Episcopus Sancti Ludovici, Administrator Neo-Aureliæ, Joseph Rosati, consecratus die 25 Martii anno 1824;

Revmus Episcopus Bostoniensis, Benedictus Fenwick, consecratus die 1 Novembris anno 1825;

Admodùm Reverendus Gulielmus Matthews, Vicarius Generalis Apostolicus Philadelphiensis constitutus à Sede Apostolicâ, die 26 Februarii anno 1828.

Aberant Revmi DD. Joannes Dubois, Episcopus Neo-Eboracensis, et Michael Portier, Episcopus Mobiliensis, qui trans mare iter anteà aggressi, ab Europâ nondùm reversi fuerant. Revmus quidem Episcopus Neo-Eboracensis Procuratorem constituerat Revmum D. Joannem Baptistam David, Episcopi Bardensis Coadjutorem; sed ob adversam valetudinem, nec ipse potuit adesse.

ACTA CONCILII.

CONVENTUS PRÆPARATORIUS.

Die ultimâ Septembris, Anno 1829, convenerunt Præsules in Ædibus Archiepiscopalibus; atque de creandis Officiariis seu adjutoribus Concilii, de Theologis et Canonistis assumendis, de Sessionibus et Congregationibus habendis, deque tandem regulis nonnullis quibus Concilio ritè incipiendo ac celebrando consuleretur, egerunt. Quocircà sic placuit Patribus:

1. Nihil sancietur, quod executioni mandari facilè non possit. 2. Nullum decretum prælo subjicietur, quin priùs S. Sedis approbatione firmatum fuerit. 3. Nihil ad Synodum referetur, præter ea quæ Illmus D. Archiepiscopus Baltimorensis, consentientibus Revmis hujus Provinciæ Præsulibus, tractanda esse judicaverit, nisi duabus tertiis partibus Prælatorum

aliter visum fuerit. 4. Sessiones manè horâ decimâ, Congregationes autem vespere horâ quartâ habebuntur, nec ultra spatium trium horarum protrahentur. 5. Prima Sessio habebitur Dominicâ primâ Octobris proximè sequentis, in Ecclesiâ Metropolitanâ, post Pallium Illmo D. Archiepiscopo Baltimorensi ab Revmo Episcopo Bostoniensi, intra Missarum solemnia, traditum. Quoniam verò Congregationes convenit Sessionibus præire, prima Congregatio habebitur præcedenti Sabbato, die scilicet tertiâ Octobris. 6. A die quartâ ad decimam usque diem Octobris, Missam solemniter celebrabit unus ex Concilii Prælatis, ordine suprà commemorato: Revmi autem Episcopi Carolopolitanus et Bostoniensis brevem ad populum concionem, alternis vicibus, habebunt. 7. Illmus D. Archiepiscopus, ex sententiâ Prælatorum, constituit Promotorem Revmum D. B. Fenwick, Episcopum Bostoniensem. Deinde Rev. D. Magistrum J. B. L. Eduardum Damphoux, in Marianâ Facultate sacræ Theologiæ Baltimorensi Licentiatum, Secretarium Concilii designavit, eique adjutorem dedit Rev. D. Franciscum P. Kenrick. Postremò Magistrum Cæremoniarum Rev. D. Joannem J. Chanche, eligendi sibi adjutorem potestate concessâ; Rev. verò DD. Franciscum Lhomme et Joannem Randanne Cantores nominavit. 8. Tandem ad Synodum invitati sunt spectatissimi viri, quorum nomina sequuntur:

Admodùm Reverendus Pater Franciscus Dzierozynski, Superior Societatis Jesu in Americâ Fœderatâ, et admodùm Reverendus Joseph Carriere, Visitator Societatis Sancti Sulpitii.

Admodùm Reverendus D. Joannes Tessier, Vicarius generalis Archidiœcesis Baltimorensis, et Marianæ Facultatis Sacræ Theologiæ Baltimorensis venerandus Decanus;

Reverendus D. Ludovicus R. Deluol, Superior Seminarii S. Sulpitii Baltimorensis, et Marianæ Facultatis Sacræ Theologiæ Baltimorensis venerandus Syndicus;

Reverendus D. Joannes Baptista Ludovicus Eduardus Damphoux, Marianæ Universitatis Amplissimus Rector;

} Theologi Metropolitanæ Ecclesiæ Baltimorensis nominati.

Reverendus D. Franciscus Patritius Kenrick, ab Episcopo Bardensi adductus Theologus;

Reverendus D. Simon Gabriel Brutè, ab Episcopo Carolopolitano designatus Theologus;

Reverendus D. Ludovicus De Barth, ab Episcopo Cincinnatensi designatus Theologus;

Reverendus D. Augustus Jeanjean, ab Episcopo Sancti Ludovici adductus Theologus;

Reverendus D. Antonius Blanc, ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus;

Reverendus D. Michael Wheeler, à Vicario generali Apostolico Philadelphiensi designatus Theologus.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA,

HABITA IN ECCLESIA METROPOLITANA, DIE TERTIA OCTOBRIS.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen. Anno Domini

millesimo octingentesimo vigesimo nono, Pontificatûs SSmi Dñi nostri Pii divinâ Providentiâ PP. VIII primo, die tertiâ Octobris, Congregatio publica habita fuit in Ecclesiâ Metropolitanâ Baltimorensi, cui præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus, Jacobus Whitfield. Adfuerunt Revmus D. Episcopus Bardensis, Benedictus Joseph Flaget, antiquior Suffraganeus; Revmus D. Joannes England, Carolopolitanus; Revmus D. Eduardus Fenwick, Cincinnatensis; Revmus D. Josephus Rosati, S. Ludovici; Revmus D. Benedictus Fenwick, Bostoniensis Episcopus; qui omnes juxta ordinem consecrationis consedêre: et ultimo loco admodùm Reverendus D. Gulielmus Matthews, Vicarius Generalis Apostolicus Philadelphiensis. Aderant etiam Superiores Ordinum, Doctores et Theologi in conventu præparatorio nominati. Episcopi omnes, et Mariani Doctores rochetto et mozzettâ, ceteri verò Sacerdotes superpelliceis induti erant.

Implorato divino auxilio, flexis genibus, per Antiphonam *Veni sancte Spiritus*, ℣. et Orationem convenientem, Illmus D. Archiepiscopus ea denuntiari jussit, quæ de Officiariis, Theologis, Canonistis, ac ceteris ad Concilium spectantibus statuta jam fuerant in prædicto conventu Prælatorum.

Deinde indictâ primâ Sessione ad diem Dominicam proximè sequentem, et Antiphonâ *Sub tuum* flexis genibus recitatâ, omnes discesserunt.

SESSIO PRIMA.

ANNO Domini millesimo octingentesimo vigesimo nono, die mensis Octobris quartâ, quæ fuit Dominica, habita est prima Sessio in Ecclesiâ Metropolitanâ Baltimorensi.

Horâ decimâ, Revm̃us D. Archiepiscopus pontificalia, Episcopi verò pluvialia supra rochettum induerunt cum mitris; Vicarius generalis Apostolicus pluviale absque mitrâ; Doctores, Theologi, aliique Sacerdotes sacerdotalibus indumentis ornati adstiterunt dum Sacrum ab Revm̃o Archiepiscopo fieret. Post Sacrum, concionem ad populum habuit Revm̃us Episcopus Carolopolitanus; quâ finitâ, Pallium Revm̃o Archiepiscopo ab Revm̃o Episcopo Bostoniensi usitatâ formâ traditum est.

Deinde aperta est Synodus more solemni, servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur: atque Illm̃o D. Archiepiscopo interrogante: *Reverendissimi Patres, venerabiles Fratres, placetne vobis ad Dei gloriam et honorem, et ad Catholicæ Ecclesiæ amplificationem, Concilium Provinciale Baltimorense legitimè convocatum, et hìc congregatum, hodierno die aperiri, et inchoari?* Singuli responderunt altâ voce: *Placet, aperiatur.* Illm̃us igitur D. Archiepiscopus, tam suo quàm Coepiscoporum nomine, ita ad populum conversus pronuntiavit: *Christi nomine invocato, decernimus sanctam Synodum Provincialem Baltimorensem esse apertam, et ita judicamus.*

Deinde Revm̃us D. Archiepiscopus mandavit eorum nomina per Secretarium legi, quos ipse tanquàm Concilii Officiarios proponebat; quibus perlectis, ad Revm̃os Coepiscopos conversus, ita interrogavit:

Placetne vobis, venerabiles Fratres, hosce in Concilii Officiales eligendos? Et Episcopi singuli responderunt: *Placet.* Secretarius itaque Decretum legit, his verbis: *Revm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis, unà cum Episcopis in hoc sacro Concilio*

congregatis, decernunt hosce Reverendos viros in Officiales hujus sancti Concilii eligendos esse, et legitimè jam electos, nempe: Promotorem, Revm̃um D. B. Fenwick, *Episcopum Bostoniensem; Secretarios, Reverendos DD.* Eduardum Damphoux, *S. T. D. et* Franciscum P. Kenrick; *Magistrum Cæremoniarum, Rev. D.* Joannem Joseph Chanche; *Cantores, Reverendos DD.* Franciscum Lhomme *et* Joannem Randanne.

Postea Revm̃us Promotor Revm̃um D. Archiepiscopum allocutus est his verbis: *Illustrissime ac Reverendissime Domine, peto ut legantur decreta Concilii Tridentini de Professione fidei, et de Residentiâ.* Tum versus ad Revm̃os DD. Coepiscopos Illm̃us D. Archiepiscopus, ab his siscitatus est his verbis: *Venerabiles fratres, placetne vobis ut legantur decreta Concilii Tridentini de Professione fidei, et de Residentiâ?* Et singuli responderunt: *Placet, legantur.* Prædicta igitur decreta ab Archidiacono altâ voce lecta sunt. (*De Prof. fidei, Sess.* 25, *Cap.* 2 *bis de Ref.* Cogit, etc. *De Resid. Sess.* 6, *Cap.* 1, *de Ref.* Eadem S. Synodus, etc. *et Sess.* 23, *Cap.* 1. *de Ref.* Cùm præcepto, etc.)

Quibus peractis, Revm̃i Provincialis Synodi Patres, fidei Professionem emiserunt juxta formam in Pontificali Romano positam: ac demùm proximâ Congregatione ad diem sequentem indictâ, Illm̃us ac Revm̃us D. Archiepiscopus Clero ac populo solemniter benedixit, omnesque domum se receperunt.

Horâ quartâ postmeridianâ, Vesperæ solemniter cantatæ sunt: Revm̃us Episcopus Bostoniensis concionem habuit, post quam benedictio SS. Sacramenti data est.

SESSIO SECUNDA,

ET PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 5 Octobris, Revmus Episcopus Bardensis Sacrum celebravit, pontificalibus indutus, adsistentibus Illmo D. Archiepiscopo ac Revmis Prælatis, ceterisque Doctoribus et Theologis Concilii adjutoribus; Archiepiscopo scilicet rochetto, stolâ, pluviali cum mitrâ; Episcopi pluvialibus supra rochettum cum mitris; Vicario generali Apostolico pluviali absque mitrâ; Doctoribus Marianis rochetto et mozzettâ, ceteris verò Sacerdotibus superpelliceo indutis.

Post Sacrum, et concionem ab Revmo Episcopo Carolopolitano habitam, psalmus et hymnus, prout in Pontificali Romano præscribitur, recitati sunt. Deinde Prælati in Secretarium Metropolitanæ Ecclesiæ recesserunt; et januis clausis, solo Secretario cum ipsius adjutore præsente, de condendis decretis egerunt. Interea autem alii omnes ex Ecclesiâ egressi sunt.

Primùm quidem, de mandato Patrum Concilii, Secretarius admodùm Rev. Joannem Power, Vicarium Generalem Neo-Eboracensem, ipsorum nomine, per epistolam invitavit ut Congregationibus vespere habendis, cum ceteris Theologis interesset.

Deinde sequentes regulæ in Congregationibus observandæ conditæ sunt:

1. Cuilibet Theologorum dicendi sententiam, quo sedet ordine, facultas datur; incipient autem juniores. 2. Omnes Revmum D. Archiepiscopum alloquentur, alternis sermonibus inter se abstinebunt, atque brevitati, quantùm fieri poterit, consulent. 3. Prælatorum sententiæ in Congregationibus non rogabuntur;

à Theologis tamen quid sentiant iterùm exquirere, ac fusiorem explicationem sciscitari ipsis licebit. 4. Alto silentio prementur ea quæ in Congregationibus vel dicuntur vel aguntur.

Denique latum est Decretum 1, quod incipit: *Quoniam sæpiùs.*

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

In Congregatione secundâ publicâ, quæ die 5 Octobris, horâ quartâ P. M. in Cathedrali Ecclesiâ habita est, aderant Prælati et Theologi omnes. Hi rogati, suas sententias aperuerunt de variis quæ propositæ sunt quæstionibus, scilicet de obligatione in diœcesi propriâ manendi, et de iis quæ exigenda sunt à Sacerdote qui alteri Diœcesi adscribi voluerit. Actum est etiam de pœnis ac modo procedendi in Clericos criminosos vel suspectos; sed quoniam rei gravitas ita postulare videbatur, de iis iterùm agendum in quartâ publicâ Congregatione, die 7 Octobris habendâ, statutum est.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 6 Octobris, horâ octavâ A. M. Sacrum, pro more, est pontificaliter celebratum à Revmo Episcopo Carolopolitano, assistentibus Prælatis et Theologis: concio habita est à Revmo Episcopo Bostoniensi.

Cùm in Secretarium recessissent Prælati, statutum est Decreta Patrum, quæ in privatâ Sessione conduntur, palàm in publicâ Congregatione legenda, ut Theologi, si verborum aliqua mutatio facienda vide-

atur, eam indicent, quin tamen Decreta novæ discussioni subjiciantur.

Deinde lata sunt Decreta 2, 3 et 4.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Hora tertiâ P. M. in Ecclesiâ Cathedrali convenerunt Prælati et Theologi. Actum est de Duacensi Scripturarum versione, de Bibliorum acatholicorum et de prohibitorum librorum lectione.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 7 Octobris, Sacrum pontificaliter celebratum est à Revmo Episcopo Cincinnatensi, Prælatis Theologisque assistentibus; concio autem habita est à Revmo Episcopo Carolopolitano, et cetera pro more peracta. Dein Prælatis in Secretario coadunatis, lecta et probata sunt Decreta antea lata.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Hora quartâ P. M. convenerunt Prælati et Theologi in Ecclesiâ Cathedrali. Actum est de Catholicâ Typographiâ instituendâ. Lectæ quoque sunt Litteræ Encyclicæ SSmi D. N. Pii PP. VIII, ut Theologis innotescerent; nulla tamen solemnis earum promulgatio facta est.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 8 Octobris, horâ octavâ A. M. Revmus Episcopus S. Ludovici pontificaliter celebravit, et Revmus Episcopus Bostoniensis concionem habuit.

Prælati in Secretarium recedentes, decretum 9 de Scripturarum Duacensi versione accuratè edendâ tulerunt.

In hac Congregatione statutum quoque est Epistolam Pastoralem ab Archiepiscopo et Prælatis subscriptam, statim post Concilii finem ad universos Fideles in Fœderatis Provinciis conscribendam esse; cujus parandæ cura Revmo Episcopo Carolopolitano demandata est. Eidem quoque Prælato et Revmo Episcopo Bostoniensi commissum est ut rationem quâ utiliter libri Catholici disseminari possent, proponerent.

QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 8 Octobris, horâ quarta P. M. pro more convenerunt in Ecclesiâ Cathedrali Prælati et Theologi. Lectum est decretum de Duacensi versione. Deinde Theologorum sententiæ de Centrali Seminario erigendo, et de modo quo Ecclesiæ postea ædificandæ divino cultui in perpetuum manciparentur, absque Ædituorum ope, exquisitæ sunt.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 9 Octobris, horâ consuetâ, post Missam pro Defunctis ab Episcopo Bostoniensi pontificaliter celebratam, Prælati in Secretarium recessêre: quibus Episcopi Carolopolitanus et Bostoniensis retulerunt quæ de disseminandorum librorum ratione eis visa sunt, eâque de re lata sunt decreta 35 et 36.

Post Decretum hoc 36, de Societate instituendâ, hæc adjuncta sunt:

Quoniam verò absque civilis potestatis sanctione, Societas illa vix coalescere aut perdurare posset, statuimus supplices litteras ad Senatum Marylandiæ porrigendas, ut Societatem hanc tanquàm legitimam agnoscat, privilegiisque consuetis in litterarum profectum donet. Statuimus etiam omnia facienda, quæ ad edendos libros qui necessarii visi fuerint, requirentur. Statuimus demùm ut operi Christianæ Religioni adeò utili ab unoquoque Prælato in suâ Diœcesi, omnis cura et diligentia impendatur, et socii quos opportunos judicaverint, adscribantur.

Dein lata sunt Decreta 34 et 5.

Postea statutum fuit Officium S. Gregorii VII, quod alicubi omitti consuevit, ubique in posterum recitandum per totam Provinciam.

SEXTA CONGREGATIO PUBLICA.

Prælatis et Theologis convenientibus ut suprà, Decretum de Ædituis lectum est, et deinceps de naturâ jurispatronatûs actum.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 10 Octobris, post Sacrum à Revmo Bardensi Episcopo pontificaliter celebratum, decreverunt Patres, proponente Revmo Episcopo Bardensi, Theologos hujus Provinciæ rogandos ut unicuique Præsuli exemplar suppeditent eorum Theologiæ Tractatuum quos magis accommodatos censuerint Religionis incremento in hac Provinciâ, ita ut faciliùs possint Præsules, cùm per otium licuerit, cursum Theologicum eligere, à Theologiæ Candidatis in hisce Provinciis adhibendum.

Dein, suggerente Revmo Episcopo S. Ludovici, convenit inter Præsules aliquot jurisperitos insignes invitandos esse ut, die Martis proximâ, in publicâ Congregatione sententias suas Patribus aperiant de quibusdam legibus civilibus, quarum accurata notitia ad Decreta condenda de bonis Ecclesiasticis, et de judiciorum Ecclesiasticorum ratione in his Provinciis servandâ, maximè desideratur.

Tum statuerunt Patres quæ in Decretis 6, 7, 8 et 33 continentur.

Postea Secretario mandatum est ut Decreta relegeret, et verborum menda corrigeret juxta observationes sibi à concilio factas, eaque Revmi Episcopi S. Ludovici examini subjiceret.

SEPTIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Hora tertiâ P. M. convenerunt Præsules et Theologi. In hac Congregatione, Theologi, Episcoporum rogatu, de pluribus rebus, præsertim quæ ad Baptismum pertinent, disseruerunt.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 12 Octobris, cùm Præsules de more convenissent, de sacris ritibus plura condita sunt decreta, quæ numeris 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17 et 19 continentur.

Postulante admodùm Rev. Administratore Philadelphiensi, de aquâ Baptismali examen iterùm institutum est: sed Patres suo adhæserunt decreto quod est Rituale conforme.

OCTAVA CONGREGATIO PUBLICA.

Convenerunt pro more Præsules et Theologi, et de Rituali et linguâ Latinâ in omnibus sacris officiis adhibendâ, fusiùs est actum.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 13 Octobris, convenerunt Præsules cum Secretario, ejusque adjutore, horâ octavâ A. M. in Secretario Ecclesiæ Cathedralis. Lecta sunt et probata decreta quæ pridiè lata fuerant. Dein condita sunt decreta 20, 18, 21 et 22.

De tempore Paschali decretum est: "Cùm orta sint dubia de temporis spatio quod in hac Provinciâ ad satisfaciendum Paschali præcepto fuerit concessum, et ad rectum animarum regimen maximè pertineat Præsules accuratam ejusdem habere notitiam; statuimus à S. Sede expetendum ut, ob peculiares regionis circumstantias, tempus adsignetur à primâ Quadragesimæ Dominicâ inclusivè, usque ad Dominicam Trinitatis inclusivè, prudenti Ordinarii arbitrio."

Deinde de libro Cæremoniarum edendo decreverunt Patres: *Quoniam maximè*, No 31. Hujus libri componendi cura demandata est Revmo Episcopo S. Ludovici; explicationem autem præmittendi, Revmo Episcopo Carolopolitano.

Demùm lata sunt decreta numeris 32, 25 et 23 contenta.

NONA CONGREGATIO PUBLICA.

Convenerunt Præsules et Theologi horâ quartâ P. M. Lectis decretis manè latis, introducti fuerunt ju-

risperiti Rogerius B. Taney, Joannes Scott et Gulielmus G. Read, qui, ex Episcoporum dignatione, sederunt non longè à Theologis in dexterâ parte Concilii. Responsum interrogationibus, quas scripto jam fecerant Patres, jurisperitus Gulielmus G. Read, collegarum suorum nomine, exhibuit scripto exaratum. Patribus autem vivâ voce alia exquirentibus, vivâ etiam voce jurisperiti responderunt. Qui postquàm omnibus quæsitis satisfecissent, gratiæ eis actæ sunt à Patribus, et è Concilio statim recesserunt.

Proposuit deinde Revmus Episcopus Carolopolitanus ut publica Congregatio, manè diei sequentis, ante privatam haberetur; quod Patribus omnibus placuit.

DECIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 14 Octobris, horâ octavâ A. M. convenerunt Præsules ac Theologi, et de confessione matrimonio præmittendâ, de matrimoniis Catholicorum cum Acatholicis, deque bannorum publicatione actum est.

NONA CONGREGATIO PRIVATA.

Hæc Congregatio habita est horâ undecimâ A. M. Decreta pridiè lata lecta sunt et probata. Proponente Revmo Episcopo S. Ludovici, munus commissum est Revmo Episcopo Bardensi litteras conscribendi ad Sodalitatem Gallicam de Propagatione fidei, quibus gratiæ agantur ob beneficia quamplurima in Americanæ Missionis utilitatem collata. Munus etiam commissum est Revmo Episcopo S. Ludovici litteras scribendi ad Summum Pontificem de iis quæ ad Concilii decreta pertinent, et ad eorum approbationem.

De modo procedendi contra Clericos criminosos vel suspectos actum est: sed nihil speciatim decretum. De Matrimonio decreverunt Patres: *Pastores animarum*, No 26.

UNDECIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Convenerunt Præsules et Theologi horâ quartâ P. M. et de Eucharistiâ ad infirmos deferendâ; de veste talari; de secessu annuo et collationibus spiritualibus; de prædicatione verbi divini; de rudimentis fidei pueris tradendis; de superpelliceo in Sacramentorum administratione, in privatis etiam ædibus, adhibendo; de decretis Synodi et Conventûs Baltimorensis, actum est.

DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 15 Octobris, horâ octavâ A. M. convenerunt Præsules in Secretario. Lecta est à Revmo Episcopo Bardensi epistola ad Societatem Gallicam de fidei Propagatione, et à Concilio probata. Dein lata sunt decreta numeris 27, 28, 29 et 30 contenta.

De Synodo et Conventu Baltimorensi sic decreverunt Patres: "Cùm temporum locorumque adjuncta spectamus, in quibus versabatur ven. mem. Joannes Carroll, Episcopus Baltimorensis, quando habuit Synodum Diœcesanam anno 1791, valdè admiramur quo fidei studio, prudentiâ et scientiâ, plurima in Ecclesiæ utilitatem statuerit. Magni etiam facimus quæ ad nos pervenerunt, ab eodem venerabili Præsule, postquàm ad dignitatem Archiepiscopalem evectus est, gesta unà cum aliis hujus Provinciæ Episcopis, anno 1810. Iis plurima contineri agnoscimus

quæ utilitatem ac ædificationem magnam afferunt; et volumus eadem Acta, prout edita sunt à proximè defuncto Archiepiscopo, doctrinâ et studio fidei venerabili, iterùm edi unà cum hujus Provincialis Concilii decretis."

DUODECIMA ET ULTIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Hora quartâ P. M. convenerunt Prælati et Theologi, et de liberis Muratoribus, de tempore proximum Concilium celebrandi, ac de quibusdam aliis disseruerunt. Theologos monuit Revm̃us Archiepiscopus, ex Patrum consensu, nullam in posterum publicam Congregationem habendam.

UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 16 Octobris, horâ quartâ P. M. cùm convenissent Præsules, lecta est ac approbata Epistola ad Summum Pontificem: lecta quoque sunt decreta pridiè lata, atque iterùm confirmata. De secundo Concilio post triennium habendo latum est decretum 38.

DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 17 Octobris, horâ tertiâ P. M. Prælati pro more convenerunt. Lecta est Epistola Rev. D. S. G. Brute, quâ quoddam decretum de vestiendi modo emendandum humiliter proponebat, et à publicâ decretorum lectione, proximâ die Dominicâ, in Ecclesiâ abstinendum, eò quòd nimium temporis spatium occuparet. Placuerunt hæc Patribus; ideoque, deletis quibusdam decreti jam lati verbis, novum con-

diderunt decretum No 24. A publicâ etiam decretorum lectione abstinendum censuerunt. Decreta autem omnia in hac ipsâ Congregatione legi voluerunt, ut iis crastino die in publicâ Sessione omnes palàm subscriberent; quod et factum est.

Lecta fuit et probata Epistola ad hujus Provinciæ Fideles, quam publicè in Ecclesiâ post Vespertinum Officium legendam crastino die statuerunt Patres, idque muneris commiserunt Revmo Episcopo Carolopolitano, qui ejusdem typis mandandæ curam suscepit.

Commissum est Revmo Episcopo S. Ludovici, ut à S. Sede per supplices litteras à Patribus subscribendas, peteret ut eadem forma in adultorum ac parvulorum baptismate adhuc usurpanda permitteretur; nec non ut brevior formula baptismalem aquam consecrandi, extra Paschæ et Pentecostes sabbatum, in Missionariorum commodum sanciretur, illius instar quæ in Rituali Limæ edito reperitur; et tandem, ut tempus Paschali præcepto in hisce Fœderatis Provinciis adimplendo adsignetur.

Lecta quoque est et approbata ratio quædam Societatis ad libros disseminandos.

Postquàm discessisset Revmus D. Archiepiscopus, gratias amplissimas ei agendas Patres statuerunt, ob propensam in ipsos voluntatem, mansuetudinem, comitatem quam ipsis exhibuerit, et hospitalitatem quam erga omnes adhibuerit.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA,

HABITA DIE DECIMA OCTAVA OCTOBRIS.

Die 18 Octobris, festo S. Lucæ, quod hoc anno incidit in Dominicam, Revmus D. Archiepiscopus

pontificaliter in Cathedrali Ecclesiâ celebravit, adsistentibus Prælatis et Sacerdotibus, prout in primâ Sessione factum est. Concionem habuit Revm̃us Episcopus Carolopolitanus. Post Sacrum, psalmus et hymnus prout in Pontificali præscribuntur decantati sunt, ceteraque pro more peracta.

Deinde titulis decretorum quæ jam in privatis Patrum Congregationibus parata erant, per Secretarium ex mandato Illm̃i D. Archiepiscopi lectis, Promotor instabat pro ipsorum decretorum approbatione et confirmatione, his verbis: *Reverendissime Pater, ego* Benedictus, *Episcopus Bostoniensis, hujus sancti Concilii Promotor, peto ut Decreta hæc quæ lecta sunt, à Patribus hujus Concilii approbentur, et confirmentur, ad Ecclesiæ Catholicæ augmentum.*

Itaque Revm̃us D. Archiepiscopus Patrum sententiam exquirens, sic eos affatus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt Decreta approbare, et confirmare?* Et singuli responderunt: *Placet, approbamus, confirmamus.* Tunc Secretarius decretum de approbatione et confirmatione altâ voce legit, ut sequitur: *Nos* Jacobus, *Archiepiscopus Baltimorensis, aliique Episcopi in hoc sacro Concilio adunati, Decreta hæc quæ mox lecta sunt approbamus, et confirmamus.* Quibus dictis, Prælati omnes post Revm̃um D. Archiepiscopum accesserunt, et decretis subscripserunt.

Tunc Revm̃us Promotor instabat pro conclusione Synodi, his verbis: *Reverendissime Pater, ego* Benedictus, *Episcopus Bostoniensis, hujus sancti Concilii Promotor, peto ut huic Concilio Provinciali finis jam fiat.* Revm̃us D. Archiepiscopus deinde Patres interrogavit: *Venerabiles Fratres, placetne vobis, ad Dei Omnipotentis laudem, hujus Concilii Provin-*

cialis finem jam fieri? Et singuli responderunt: *Placet.*

Tunc Secretarius legit decretum de conclusione Synodi: *Nos* JACOBUS, *Archiepiscopus Baltimorensis, aliique Patres qui huic Concilio Provinciali intersumus: cùm absoluta sint quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, cumque pastoralis cura nos ad Ecclesiarum nostrarum status, et pastorales vigilias revocet; propterea huic sancto Concilio finem imponi censuimus.*

Tum Revmus D. Archiepiscopus, dimissâ mitrâ, surrexit, et stans versus ad altare, dixit:

OREMUS.

"Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensè possit tuæ voluntatis judicia experiri; et ideò, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus: te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine judiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientiâ remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo quòd soluturi sumus aggregatam Synodum, à cunctis primùm absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen."

Interim distributæ fuerant Acclamationes, quas statim finitâ prædictâ Oratione, cantarunt omnes, Episcopis stantibus cum mitris.

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.

Chorus. Laudamus te, Domine, qui illuminans mirabiliter à montibus æternis, sacrum illud Provinciale Concilium ad optatum exitum mirâ benignitate perduxisti: tibi laus, tibi potestas et imperium in sæculum, et usque in sæculum sæculi.

Archid. Beatissimo Domino nostro Pio, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, multi anni et æterna memoria.

Chorus. Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

Archid. Reverendissimo Domino Archiepiscopo Baltimorensi, qui hoc Concilium celebravit, cum multis annis magnæ gratiæ.

Chorus. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat, et eum in multos annos Ecclesiæ suæ conservet.

Archid. Reverendissimis Episcopis, qui ad hoc Concilium celebrandum accesserunt, magnas gratias.

Chorus. Reverendissimis Dominis Episcopis magnæ gratiæ, vita, et felix ad Ecclesias suas reditus.

Archid. Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo, pax Christi æterna.

Chorus. Vias tuas, Domine, demonstra illis; et dirige eos in veritate tuâ, ut non obliviscantur operum Altissimi, et mandata ejus exquirant.

Archid. His decretis inhærentes, misericordiam Dei Omnipotentis, et gratiam magni et primi Sacerdotis Dei et Domini nostri Jesu Christi, intercedente inviolatâ et sanctissimâ Dei Matre, sanctis

Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, consequamur.

Chorus. Fiat, fiat. Amen, amen.

Absolutis Acclamationibus, cantatus est hymnus *Te Deum;* et post hymnum, per Revm̃um D. Archiepiscopum sequens Oratio pro gratiarum actione:

OREMUS.

"Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen."

Tum data est Pax, singulis Episcopis ad Revm̃um D. Archiepiscopum, et dehinc ad ceteros Prælatos, juxta consecrationis ordinem, accedentibus. Postea Revm̃us D. Archiepiscopus, in medio altari constitutus, versâ ad populum facie, more solito solemnem benedictionem impertitus est: et Diacono postmodùm clarâ voce dicente, *Recedamus in pace;* ceteri responderunt, *In nomine Christi, amen:* tuncque omnes pariter surgentes, pacificè recesserunt.

Vesperæ horâ quartâ P. M. cantatæ sunt, quibus interfuerunt Revm̃us D. Archiepiscopus et ceteri Prælati pontificaliter induti, Presbyteri etiam vestibus sacerdotalibus ornati. Lecta est Epistola ad Fideles Provinciæ, et solemnis SSm̃i Sacramenti benedictio data.

Absoluti post dies duodecim Concilii Decreta, Romam ad Beatissimum ac SS. Patrem Pium fel. rec. PP. VIII, RR.PP.DD. supra commemorati, pro confirmatione miserunt, in hunc modum scribentes:

EPISTOLA

PATRUM CONCILII BALTIMORENSIS PROVINCIALIS I,
AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO

PATRI

PIO VIII PONTIFICI MAXIMO.

Beatissime Pater,

INTER gratulationes, quas ob Sanctitatis Vestræ ad supremam Petri Cathedram assumptionem, Christianus orbis Romam lætus undique mittit, haud ingratas communi fidelium Patri futuras speramus, quas ex Septentrionalis nostræ Americæ adhuc infantibus Ecclesiis Beatitudo Vestra recipiet. Perjucundum quidem nobis exultantis animi sensus, ob tantum Pastorem perdifficilibus hisce temporibus, provido Dei miserantis consilio, Ecclesiæ datum, his litteris communi testimonio patefacere, atque simul illius quam Christi in terris Vicario debent omnes Ecclesiarum Pastores, venerationis, reverentiæ, et obedientiæ argumentum aliquod proferre. Id autem nos sincerè præstituros arbitramur, nostri Baltimorensis Provincialis Concilii decreta Beatitudinis Vestræ supremo judicio subjiciendo, ut quæ Ecclesiarum nostræ curæ commissarum bona decernenda censuimus, Apostolicâ approbatione, si quam merentur, donata, necessariâ sanctione roborentur. Ea igitur Romam transnavigare volumus; ea ante Sanctitatis Vestræ tribunal sistere jubemus, ut ad trutinam revocata, ex illis quæ Petro probata fuerint,

tantùm approbemus, et quæ ab illo rejicienda vel condemnanda judicabuntur, rejiciamus atque damnemus. Ea autem in illis condendis, Beatissime Pater, mens nostra non fuit ut novum aliquem Ecclesiasticarum legum codicem fabricaremus, aut earum quæ jam latæ fuerunt ad unguem absolutam et perfectam clero et populo Diœcesum nostrarum collectionem exhiberemus. Absit ut hujusmodi consilia animo versaremus. Ad primum enim quod attinet, sanctissima et antiqua Ecclesiastica instituta, SS. Patrum, venerandorum Conciliorum, Summorumque Pontificum auctoritate firmata, eâ quâ par est veneratione prosequentes, nil nobis sanctius, nil unquàm antiquius erit quàm illis adhærere, atque à novitatibus omnibus tot periculis refertis abhorrere. Quoad verò secundum, nec alii desunt fontes, ex quibus oves nostræ curæ concreditæ Ecclesiasticarum legum doctrinam possint haurire; nec temporum adjuncta, aliaque graviora pastoralis muneris officia ad perdifficile hujusmodi opus lucubrandum otium necessarium nobis reliquissent. Igitur id nobis propositi fuit, ut scilicet præsentibus urgentioribusque Diœcesum nostrarum necessitatibus occurreremus, et imprimis unam eamdemque, quoad fieri posset, disciplinam restitueremus, Sacerdotibus collaboratoribus nostris in memoriam revocando ea, quæ ab Ecclesiâ jam decreta, vel commendata fuerunt.

Fateamur profectò oportet, et "benedicamus Deum cœli, et coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam: etenim sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est." Nondùm enim duorum sæculorum tempus elapsum est, ex quo primùm in remoto et obscuro Marylan-

diæ angulo, Catholici nominis homines numero pauci (Missionariis paucis præeuntibus) è patriâ exules, persecutionem quâ ob avitam fidem crudeliter impetebantur fugientes, hujus Americanæ Ecclesiæ fundamenta jecerunt: vix quadraginta annorum spatium effluxit ex quo is fidelium numerus in Fœderatis hisce Americanis Provinciis inventus fuit, qui primæ Episcopalis Sedis Baltimori, Summi Pontificis judicio, erectionem postulare videretur: nondùm tandem vigesies anni circulus est revolutus, ex quo Sanctissimi Pontificis Pii VII decreto Baltimorensis Ecclesia Metropoliticâ dignitate et juribus cohonestata, suffraganeis Diœcesibus recenter erectis, veluti Mater filiorum lætans, fœcunditatis dono cœlitùs accepto, prolem quam recens Christo genuerat, in novis Ecclesiis primò circumspexit. Nihilominùs tantas videmus à Deo impertitas Ecclesiis istis nascentibus benedictiones, tantumque datum vineæ huic incrementum, ut et qui plantaverunt, et qui irrigaverunt, et qui vindemiant, et qui torcularia redundantia calcant, "digitum Dei" hìc omninò fateri, atque mirari cogantur. Fidelium numerus crescit in dies, templa cultu divino haud indigna passim ædificantur, verbum Dei undequaque et non sine fructu prædicatur, odia et vulgata in Ecclesiam atque Fideles evanescunt præjudicia; Religio sancta, olim despecta et contemptui habita, honorem ab ipsis inimicis accipiens; Christi Sacerdotes ab iis etiam qui forìs sunt venerati; veritas et divinitas fidei nostræ, non in Ecclesiis et ex suggestu solùm, sed ex ipsis typographicis officinis, periodicis et longè lateque diffusis libellis proclamata, et ab hæreticorum ac infidelium calumniis vindicata. Sex clericorum Seminaria, spes Ecclesiarum nostrarum, jam instituta, et sanctissimâ

disciplinâ à piis doctisque sacerdotibus gubernata; novem ad puerorum et adolescentium in pietate, bonis artibus et scientiis etiam altioribus institutionem Collegia sub clericorum regimine, Catholici nominis decus, per diversas provincias erecta; ex his tria Universitatis nomine et privilegiis à Comitiis generalibus decorata; sacrarum Virginum monasteria domusque triginta tres, ex diversis Ordinibus et Congregationibus Ursulinarum, Visitationis, Carmelitarum, SS. Cordis, Sororum Charitatis, Lauretanarum, etc., passim per Diœceses nostras fundata; unde non solùm consiliorum Evangelicorum observantiâ, aliarumque virtutum omnium exercitio, sed et puellarum innumerarum piâ institutione, "Christi bonus odor" undequaque diffunditur: religiosorum Ordinum Prædicatorum et Societatis Jesu, Sacerdotum sæcularium Congregationis Missionis et S. Sulpitii domus nonnullæ, ex quibus sacerdotes ad sacras missiones, veluti ex centro radii, emittuntur: scholæ non paucæ, ubi pauperes utriusque sexûs gratis docentur: hospitalia, ubi regionibus istis priùs ignota Christianæ charitatis exempla à Religiosis puellis quotidiè, maximo animarum et Religionis lucro, præbentur. En, Beatissime Pater, quæ nobis contulit Deus, paucis ab hinc annis, insignia beneficia: ea porrò à Beatitudine vestra in præsentiarum occultare fas minimè fuisset.

Ast inter tot gaudii justas causas, non desunt, Pater Sanctissime, luctûs et doloris haud contemnenda motiva. Ædituorum aliquibus in locis usurpata in Ecclesias potestas; exiguus sacerdotum et operariorum numerus, Diœcesum nostrarum necessitatibus omninò impar; clamor proinde parvulorum, qui verbi Dei panem petunt, animum nostrum, veluti

gladius, pertransiens, cùm desint qui panem illis frangere possint; subsidia ad sacrorum Ordinum candidatos in seminariis alendos deficientia; eorum qui huc aliunde veniunt clericorum et sacerdotum, suam quâ indigemus operam nobis offerentium, corda scrutandi, quove spiritu agantur cognoscendi, arduum negotium; deplorandi humanæ istius infirmitatis effectus in quibusdam ex iis, qui ad sacerdotalia munia à nobis deputati, vitam heu! adeò sublimem statum decentem aliquandò minimè agunt; facilis ad schismata in regionibus istis occasio, et ad illa præcavenda vel extirpanda non semper in nobis satis expedita potestas; varia in varias provincias, nec semper sibi constans, à Missionariis ceteroquin piis ex diversis regionibus advenientibus, inducta disciplina. Hæc sunt mala, quæ à nobis remedium aliquod postulare videbantur. His occurrere cupientes, decreta quæ supremo Sanctitatis Vestræ judicio subjicimus, condidimus, futurum sperantes ut Apostolicâ sanctione firmata, finem optatum consequantur. Id unum nobis hìc adjicere liceat, in veneratione, obsequio, et obedientiâ quam erga Apostolicam Sedem ex animo profitemur, nullis primas partes cessuros,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Obsequentissimos Filios,

† Jacobum, *Archiepiscopum Baltimorensem.*

† Benedictum Josephum, *Bardensem Episcopum.*

† Joannem, *Episcopum Carolopolitanum.*

† Eduardum, *Episcopum Cincinnatensem.*

† Joseph, *Episcopum S. Ludovici, et Administratorem Apost. Neo-Aureliæ.*

† Benedictum, *Episcopum Bostoniensem.*

Datum Baltimori, Anno Reparatæ Salutis 1829, die verò Octobris 24.

SS. Pontificis approbationem, et confirmationem Concilii Baltimorensis Decretorum, sequens ostendit Rescriptum.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

Illmẽ ac Revmẽ Domine,

GRATISSIMUM mihi est nuntiare Amplitudini Tuæ, ac per te ceteris Americæ Septentrionalis Episcopis, universum Decretorum Synodi Provincialis Baltimorensis, mense Octobri anno 1829 habitæ, examinationis negotium feliciter absolutum esse. Non modò enim S. Congregatio, sed et ipse SSmus Dñus Pius PP. VIII ea decreta probavit, iisque Apostolicæ auctoritatis robur adjecit, prout ex Decreto his litteris adjecto Amplitudo Tua intelliget. Nonnulla quidem tum S. Congregatio, tum SSmus Dñus Noster Amplitudini Tuæ præ oculis ponenda esse existimavit, quæ demonstrant quibus in locis memorata Decreta immutationem aliquam mereantur. Hæc Amplitudini Tuæ insinuantur in Instructione, quæ etiam his litteris adjicitur. Persuasum est S. Congregationi, ac Sanctitati Suæ, Amplitudinem Tuam libenti animo excepturam esse quæ in memoratâ Instructione explicantur, ac curaturam ut Decreta eâ ratione immutata in lucem edantur. Facultates etiam quæ in supplici libello Amplitudinis Tuæ, et ceterorum Episcoporum qui Synodo inter fuerunt nomine ad SSmum Dñum Nostrum die 24

Octobis transmisso petebantur, Sanctitas Sua benignè concessit, quemadmodùm ex tribus aliis Decretis comperies, quæ item his litteris adjiciuntur.

Restat nunc, ut susceptâ hac occasione, Amplitudini Tuæ, et ceteris istarum Diœcesum Episcopis, S. Congregationis et SSmi Dñi Nostri nomine, gratuler ob eximium illud studium Religionis amplificandæ quo præstatis, ac ob singularem disciplinæ Ecclesiasticæ custodiendæ amorem, cujus adeò perspicuum testimonium decreta ipsa Synodi Baltimorensis præ se ferunt. Pollicetur verò vobis S. Congregatio et Sanctitas Sua, vobis consilio et auctoritate suâ adfuturam omni in re quæ vobis utilis, et Religionis incremento opportuna esse poterit.

Precor Deum interea ut Amplitudinem Tuam diu sospitem ac felicem servet.

Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ fide, die 16 Octobris 1830.

D. M. Card. CAPPELLARI, *Præf.*
C. Castracane, *Secret.*

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

INTER præclara RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et ceterorum Episcoporum Diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, erga Religionem Catholicam merita, S. Congregatio de Propagandâ Fide illud jure recenset, quòd ad majus Ecclesiæ bonum in iis regi-

onibus procurandum, atque ad Fidei Catholicæ incrementum unanimi consilio stabilius obtinendum, Provincialem Synodum mense Octobri anno 1829 Baltimori habuerint. Excepit autem veluti novum observantiæ erga Sedem Apostolicam perspicuum testimonium, Archiepiscopi et Episcoporum vota precesque, ut quæ in Synodo illâ statuta ac decreta fuerant, accuratè ab ipsâ examinarentur, ac deinde, si digna reperta fuissent, auctoritate Apostolicâ confirmarentur.

Cùm memoratæ igitur Synodi Baltimorensis decreta in generali Sacræ Congregationis conventu, die 28 Junii anno 1830 habito, referente Emõ ac Rmõ D. Petro S. R. E. Cardinali Caprano, examinata ac maturè perpensa fuissent; cunctis EEmõrum ac RRmõrum Patrum S. R. E. Cardinalium sacro Concilio Christiano nomini propagando præpositorum suffragiis dignissima judicata sunt, quæ amplissimis laudibus commendarentur, et confirmarentur.

Quoniam verò S. Congregationis ea quoque mens et sententia fuit, ut ad ampliorem Synodo splendorem ac Decretis firmitatem comparandam, SSmõ Dño Nostro PIO, Div. Prov. PP. VIII preces fierent, ut eadem Decreta Apostolicâ auctoritate suâ confirmaret, Bmus Pater, audito per R. P. D. Castruccium Castracane, S. Congregationis Secretarium, EEmõrum Patrum eâ de re concordi suffragio, Decreta Synodi ipse perlegit, pro summâ sapientiâ suâ perpendit, ac laudans singulare illud Religionis studium quod in decretis elucet, et mirabilem illam industriam, cum permagnâ doctrinâ conjunctam quâ Archiepiscopus et Episcopi utuntur in excolendâ vineâ Domini iis commissâ, Decreta Synodi Provincialis Baltimorensis auctoritate Apostolicâ, die 26

Septembris anno 1830 confirmavit, eaque in Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœcesibus servari jussit.

Datum Romæ ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die 16 Octobris 1830.

D. Maurus Card. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. Castracane, *Secr.*

Ceterùm Sacra Congregatio pauca quædam in Synodi Baltimorensis Decretis immutanda ostendit et insinuavit, ut patet ex sequenti Instructione.

INSTRUCTIO

CIRCA DECRETA A SYNODO PROVINCIALI BALTIMORENSI EDITA.

SACRA Congregatio de Propagandâ Fide, in generali Conventu die 28 Junii anno 1830 habito, accuratè perpendit Acta et Decreta Synodi Provincialis Baltimorensis mense Octobri anno 1829 celebratæ. Summis quidem laudibus extulit Archiepiscopi et Episcoporum singulare studium Religionis incrementum et splendorem in Diœcesibus quibus præsunt procurandi: nonnulla tamen eis præ oculis ponenda esse censuit, quæ ostendant quibus in locis ea Decreta immutationem aliquam mereantur. Hæc igitur S. Congregatio Episcopis per modum instructionis insinuanda esse existimavit.

In primo Synodi Baltimorensis Decreto statuitur Sacerdotes, qui sacro Ministerio in Diœcesibus Fœ-

deratæ Reipublicæ funguntur, ad nutum Episcoporum amovibiles esse ab Ecclesiis et Missionibus quibus inserviunt. Consentaneum Concilio Tridentino est (Sess. 23, Cap. 16 de Ref.) ut Sacerdotes non ordinentur nisi adscribantur Ecclesiæ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumuntur. Generatim Ecclesia, cui Sacerdotes inservire debent, est Diœcesis ad quam pertinent, in specie verò est locus ille cui Episcopus eos destinat. Synodus Baltimorensis hanc amovibilitatem ad nutum Episcoporum deducit ex solemni obedientiæ promissione à Sacerdotibus factâ Episcopis cùm ordinati sunt, atque idcircò in primo illo Decreto statuitur, *vi promissionis in Ordinatione emissæ, eos teneri ad obediendum Episcopo præcipienti ut cuilibet Missioni intra Diœcesim suam vacent.* De hac obedientiæ promissione Benedictus XIV sermonem habens (Constit. 25, Tom. 2 Bullarii sui: *Ex quo dilectus.*) hæc habet: "Neque nos pro nudâ inanique formulâ habendam esse putamus solemnem illam obedientiæ et reverentiæ sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem: quinimmò libenter agnoscimus Presbyterum hujusmodi promissionis vigore, eâ lege inter alias adstrictum teneri ut à servitio Ecclesiæ, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentiâ Episcopi." Hæc cùm ita sint, visum est S. Congregationi Episcopos Baltimorenses de obedientiâ illâ loquentes graviori modo illam explicasse ac Benedictus XIV fecit. Nam sapientissimus ille Pontifex affirmavit obedientiæ promissionem illam efficere ut Sacerdos sine Episcopi licentiâ discedere nequeat ab Ecclesiâ, cui in ordinatione addictus est; Synodus verò Baltimorensis decernit, *vi*

promissionis in ordinatione emissæ, teneri Sacerdotes ad obediendum Episcopo præcipienti ut cuilibet Missioni intra Diœcesim vacent. Quare S. Congregationi placeret potiùs hæc verba in memorato Decreto adhiberi: *Monemus Sacerdotes ut, memores promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet Missioni ab Episcopo designatæ.*

Secundum Decretum statuit Sacerdotes, *vi promissionis in ordinatione emissæ, teneri in Diœcesi manere, et obedire Episcopo, quoad ab Episcopo canonicè non fuerit dimissus.* Hæc magis consentanea sunt iis quæ superiùs demonstratum est à Benedicto XIV explicata esse: addi tamen verba nonnulla possent, quibus ostendatur circa Sacerdotes qui ad religiosum aliquem Ordinem transire volunt, servari debere quæ Benedictus XIV in nuper citatâ Constitutione de eâ re docet.

In quinto Decreto, ostenditur quantoperè Synodus cupiat in posterum non ædificari novam aliquam Ecclesiam, *nisi fuerit Episcopo in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit.* Valdè optandum esset Episcoporum vota hac de re impleri, ad vitanda præsertim incommoda quæ hactenùs in Americâ ob Ædituorum agendi rationem Ecclesia passa est: ut verò constet per hoc Decretum Episcopos nolle Regularibus aliquod detrimentum afferre, addi posset Regularium privilegia sarta tecta servari secundùm ea quæ à jure Canonico, et Romanorum Pontificum Constitutionibus decreta sunt.

In sexto Decreto, ubi Episcoporum auctoritas defenditur circa institutionem Pastorum, hæc verba adhibentur: *Hoc nostro Decreto declaramus repugnare prorsùs doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ jus*

illud à Laicis assumptum instituendi seu dimittendi Pastores. Optaret S. Congregatio hæc verba præterea adjungi: *Litteris Apostolicis sanct. mem. Pii PP. VII, et Leonis XII, ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc nostro Decreto declaramus, etc.* Ita enim luculentiùs apparebit quanto studio Sedes Apostolica conata sit Episcoporum jura contra Laicorum usurpationem defendere. In eodem Decreto sexto declaratur *nullum jus Patronatûs cujuscumque generis, quod sacri agnoscunt Canones, competere alicui personæ, Laicorum Congregationi, Ædituorum cœtui, seu aliis quibuscumque personis in hac Provinciâ.* S. Congregationi visum est addi posse vocem *hactenùs* declarationi quæ nunc memorata est: licèt enim nunc Episcopis constiterit nullum jus patronatûs ejusmodi in Fœderatis Provinciis ad quemlibet pertinere, poterit fortassè aliquandò in posterum contingere ut, etiam in iis regionibus, jus patronatûs obtineat, servatis quæ à Sacrosancto Concilio Tridentino statuta sunt Sess. 24, Cap. XII; et Sess. 25, Cap. IX de Ref.

In octavo Synodi Baltimorensis Decreto habetur: *Præsules urgemus omninò ad interdicendum Ecclesiam* in quâ, invito Episcopo, Sacerdos aliquis sacro munere fungitur, vel facultatibus utitur ab Episcopo revocatis. Optat S. Congregatio in hoc Decreto, ad graviora mala vitanda, Episcopos ejusmodi verbis uti, quæ ostendant tum demùm interdici posse Ecclesiam, cùm cetera omnia remedia inutilia esse appareat.

In nono Decreto, sermo est de versione Anglicâ Sacræ Scripturæ, quæ dicitur Duacensis. S. Congregatio cupit expungi verba illa *Sanctæ Sedis approbatione donata:* diligentissimè enim institutâ hu-

jus rei investigatione, constat eam versionem à S. Sede approbatam non esse. Fortassè hujus approbationis argumentum existimatum est Breve Apostolicum Pii VI ad R. P. D. Martini, Archiepiscopum Florentinum; quod Breve refertur in editione illius Duacensis versionis factâ anno 1815, Birmingham in Angliâ. Verùm illud Breve ab Editore in memoratâ editione commemoratum est tantummodò ut constaret Sedem Apostolicam non esse contrariam generatim versionibus vulgaribus Bibliæ, si rectè fiant, et servatis servandis: Pius VI autem in eo Brevi non de versione Duacensi loquitur, sed de versione Italâ ipsius R. P. D. Martini. Quod spectat præterea ad novas editiones illius versionis Duacensis, quas Episcopi Baltimorenses commendant fieri emendatissimè in posterum, S. Congregatio cupit servari quæ circa regulam quartam Indicis Concilii Tridentini præscripta sunt, videlicet, ut fiant *cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.*

In Decreto decimo sexto statuitur: *In oppidis ubi Ecclesia est, extra eam Baptismus non conferatur.* S. Congregatio intelligens cujus gravitatis sit generalem legem in regionibus illis servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo; præ oculis habens domiciliorum magnam distantiam ab Ecclesiâ, etiam in oppidis ubi Ecclesia est, Episcopis commendat Decretum, de quo sermo est, in hunc modum immutare, ut appareat, habitâ ratione magni spatii quo sæpè Ecclesia distare solet à locis ubi incolarum domicilia sunt, licere posse Baptismum extra Ecclesiam conferre; curandum tamen esse, quoad fieri potest, ut hoc Sacramentum in Ecclesiâ conferatur; Episcoporum denique et Missionariorum prudentiæ

relinquendum esse ut statuant quando sint urgendi fideles, ut infantes ad Ecclesiam deferant, ut baptismus eis conferatur.

In decimo septimo Decreto declaratur *Infantes Acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse quoties probabilis affulget spes catholicæ eorum educationis.* Huic Decreto, prout S. Congregatio Supremæ Inquisitionis (feriâ 4, 12 Septembris 1827) statuit, addendum est: *Curandum autem omninò ut Patrinus, vel Matrina, iique Catholici habeantur.* Addi præterea debet, ubi agatur de infantibus hæreticorum in mortis periculo, eos baptizari non modò posse, *sed etiam debere.*

In decimo nono Synodi Decreto, in quo statuitur puerperam in Ecclesiâ benedicendam esse, vel in locis ubi Sacrum fit, adhiberi tantùm debent verba ejusmodi, quæ insinuationem contineant, et Episcopos ita optare ostendant: nam valdè periculosum est contrarium morem generali lege repentè mutare. Præterea, Rituale Romanum non præscribit ejusmodi benedictionem in Ecclesiâ fieri; multoque minùs vetat benedictionem hanc iis puerperis conferri, quæ Paschale præceptum non impleverint, vel Sacramentalem confessionem paulò antè non fecerint, prout in memorato decimo nono Baltimorensi Decreto continetur.

In Decreto vigesimo primo, ubi agitur de Confirmationis sacramento nemini ministrando minori septennio, *nisi ob particulares rationes*, opportunum fortassè erit addere, *ex. gr. infantibus in mortis periculo:* ita enim explicabitur quænam rationes esse possint Sacramenti illius ministrandi etiam puero ante septem annorum ætatem.

In vigesimo secundo Decreto de schedulis quæ dandæ sunt iis qui Confirmationis sacramentum suscipere volunt, ut, iisdem Episcopo allatis, memoratum Sacramentum accipiant, statuitur eas schedulas *vel à Pastore, vel à Confessario dandas esse.* Cùm verò ideò eas schedulas dari in Decreto præscribatur *ne aliqui haud ritè dispositi accedant*, non erit opportunum dicere eas schedulas à Confessario dandas esse, ne aliquod dubium nascatur de secreti sacramentalis violatione, si ille schedulam dare recusaverit.

In vigesimo quinto Decreto, ubi de Confessionalibus agitur erigendis in publicis Ecclesiis, optat S. Congregatio ea verba ab Episcopis adhiberi, ut ostendatur ab iisdem prohibitum non esse confessiones virorum audire extra Confessionale. Quod spectat verò ad confessiones mulierum, S. Congregatio censet addendum esse ut ubi, ex speciali Ordinarii licentiâ, extra Confessionale audiantur, *nunquam nisi per crates interpositas excipiantur, et in loco patenti, quantùm per loci rationem licebit.*

In Decreto vigesimo octavo, statuitur: *Evitent Sacerdotes lusum alearum et chartarum.* Nimiùm rigorosum visum est S. Congregationi lusum chartarum generatim prohibere. Concilium Trident. (Sess. 24, Cap. 12, de Ref.) voluit Clericos *ab illicitis lusibus abstinere ;* præterea S. Carolus Borromæus, in suâ primâ Provinciali Synodo, inter eos ludos qui Clericis vetantur, chartarum ludum non numerat: quare videtur vocem illam *chartarum* omitti posse, et potiùs Clericis ob oculos poni debere, *prorsùs oportere eos ab illicitis ludis abstinere.*

In Decreto trigesimo primo, ubi statuitur librum Cæremoniarum ex probatis operibus componendum

esse, adjungi possent verba: *qui Rituali Romano conformis sit, et S. Sedis judicio subjiciendus.*

In Decreto trigesimo secundo, in quo agitur de formâ Superpellicei adhibendi à Clericis, videtur satis esse affirmare *Superpelliceum esse debere modestum, decorum, et sacris functionibus conveniens.* In eo Decreto describitur quædam superpellicei forma, et dicitur eam esse in S. Romanâ Ecclesiâ usitatam: affirmari tamen non potest eam solam superpellicei formam in Urbe Româ usitatam esse.

In Decreto trigesimo tertio, ubi agitur de Catecheseos libris retinendis, et rejiciendis, S. Congregatio cupit hæc etiam affirmari: *Dabitur autem opera ut Catechismus componatur, qui circumstantiis hujus Provinciæ magis accommodatus, Catholicam doctrinam in Catechismo Card. Bellarmini expositam tradat, quique post Sedis Apostolicæ approbationem edetur ad communem Catholicorum usum.* Hoc enim consentaneum imprimis est iis quæ Benedictus XIV habet in Encyclicâ (Tom. 1 Bullarii, No 42.) ad Patriarchas, Primatas, etc.

In trigesimo quinto Decreto, ubi sermo est de libris in Scholarum usum edendis, adjungi possent verba: *Eos libros Episcoporum judicio approbatos edendos esse.* Agitur enim ibi de ejusmodi libris edendis, qui erroribus omnibus expurgati sint, et quibus nihil contineatur quod Catholicæ fidei odium vel invidiam parere possit. Apparet igitur plurimùm interesse ut Episcopi de talibus libris judicium ferant.

Hæc sunt quæ circa Decreta à Synodo Provinciali Baltimorensi edita S. Congregationi notanda esse visa sunt. Restat nunc ut aliquid dicatur de ratione quâ Episcopi Decretis ejusdem Synodi subscripserunt. Nam R. P. D. Archiepiscopus sub-

scripsit: *Ego Jacobus, Archiepiscopus, definiens subscripsi;* Episcopi verò diversâ ratione se subscribere debere existimaverunt: *Ego Benedictus, Episcopus Bardensis, consentiens subscripsi.* Certum est autem tum Archiepiscopum, tum Episcopos subscribere debuisse adhibitâ voce, *Definiens subscripsi.* Episcopi enim Concilio etiam generali tanquam judices adsunt; et prout apparet ex subscriptionibus Concilio Tridentino appositis, etiam Episcopi in eo Concilio usi sunt subscribendi ratione, *Definiens subscripsi:* idem, et graviori etiam ratione, dici debet de Concilio Provinciali. Satis est præ oculis habere quæ Benedictus XIV scripsit (De Syn. Diœc. Lib. 13, Cap. 2, No 4.): *Etiam in Concilio Provinciali, Episcopi Suffraganei adsunt tanquam judices, ita ut eorumdem, aut majoris partis eorum sententia prævaleat sententiæ Metropolitani.* In subscriptione igitur Decretorum Synodi Provincialis Baltimorensis, quemadmodum ab Archiepiscopo, ita ab Episcopis vox *Definiens* usurpanda erit. Eadem ratio quæ facit ut memorato modo Episcopi subscribere debeant, ostendit etiam immutandam esse inscriptionem Decretorum Synodi Baltimorensis. In eâ inscriptione dicitur: *Nos Jacobus, etc., Archiepiscopus Baltimori, consilio et assensu Reverendissimorum Patrum Coepiscoporum, etc.* Ut appareat Episcopos non consiliarios tantùm, sed judices verè Concilio adfuisse, opportunum erit Decreta illa inscribere hoc fermè modo: *Decreta Concilii primi Provincialis Baltimorensis habiti ab R. P. D. Jacobo Whitfield Baltimorensi Archiepiscopo, unà cum Episcopis Fœderatarum Americæ Provinciarum.*

D. Maurus Card. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. Castracane, *Sec.*

Istæ Sacræ Congregationis adnotationes à Patribus Concilii Baltimorensis grato animo ac debitâ reverentiâ, ut par erat, exceptæ sunt, notataque loca, prout suggestum fuerat, emendata. Cum his igitur admodùm levibus immutationibus, suffragio Illmi D. Archiepiscopi, et Revmorum DD. Episcoporum qui Concilio interfuerunt probatis, Decreta, ipsorum unanimi consensu, typis mandantur.

DECRETA

CONCILII BALTIMORENSIS PROVINCIALIS PRIMI, HABITI AB R. P. D. JACOBO WHITFIELD, BALTIMORENSI ARCHIEPISCOPO, UNA CUM EPISCOPIS FŒDERATARUM AMERICÆ PROVINCIARUM.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.

I. QUONIAM sæpiùs à quibusdam in dubium revocatum est an competeret Præsulibus Ecclesiæ, in hisce Fœderatis Provinciis, facultas Sacerdotes in quamlibet Diœceseon suarum partem ad sacrum Ministerium deputandi, eosque inde, prout in Domino judicaverint, revocandi; monemus omnes Sacerdotes in hisce Diœcesibus degentes, sive fuerint in iis ordinati, sive in easdem co-optati, ut memores promissionis in Ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet Missioni ab Episcopo designatæ, si Episcopus judicet sufficiens ad vitæ decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus viribus et valetudini Sacerdotum ipsorum convenire.

Hac autem declaratione nihil innovare volumus quoad illos qui Parochialia obtinerent beneficia, quorum unum tantùm, scilicet in civitate Neo-Aureliâ adhuc noscitur in hisce provinciis: neque ullatenùs derogare intendimus privilegiis quæ Religiosis fuerint à S. Sede concessa.

II. Statuimus et declaramus quemlibet Sacerdotem qui pro quâcumque hujus Provinciæ Diœcesi ordinatus fuerit, teneri vi promissionis in Ordinatione factæ ad permanendum in eâdem Diœcesi, et ad se subjiciendum Præsuli suo, usquedùm canonicè dimissus fuerit. Statuimus quoque eâdem obligatione pariter adstringi omnem Sacerdotem ritè co-optatum in aliquam Diœcesim: co-optari autem declaramus quemlibet ex alienâ Diœcesi advenientem, statim ac testimoniales et dimissoriales litteræ Præsulis, cui proximè subditus erat, munitæ auctoritate, ab ipso Sacerdote, Ordinario cui se subjicere velit exhibentur, et ab eodem in perpetuum acceptantur. His porrò statutis obstare nolumus quin ea servari debeant, quæ Benedictus XIV (Constitutione 25, Tom. 2 Bullarii sui: *Ex quo dilectus.*) luculenter docet circa Sacerdotes qui ad Religiosum aliquem ordinem transire volunt.

III. Enixè hortamur Præsules omnes hujus Provinciæ ne concedant facultates sacra munera exercendi Sacerdoti aliunde venienti, nisi afferat testimoniales seu dimissoriales litteras Præsulis, cui proximè subditus fuerat, auctoritate firmatas: nec etiam concedant eas facultates Sacerdoti hujusmodi, si absque causâ sufficienti distulerit ultra sex menses Præsulem eligere, cujus auctoritati et jurisdictioni in perpetuum subjaceat. Hoc autem decreto nolumus derogare privilegiis à S. Sede quibusdam Religi-

osis Societatibus, et Missionariis Apostolicis concessis.

IV. Cùm repugnet legibus et consuetudini Ecclesiæ, bonoque animarum regimini pluribus Sacerdotibus simul *ex æquo* concedere auctoritatem pastoralem regendi eamdem Ecclesiam, aut Districtum; et cùm magna nata sit confusio et discordia in hac Provinciâ, pluribus Sacerdotibus simul sibi vindicantibus hujusmodi auctoritatem pastoralem *ex æquo* exercendam, absque ullâ ab alterutro dependentiâ: statuimus et decernimus unumquemque Præsulem debere, quamprimùm commodè poterit, designare iis in locis in quibus plures Sacerdotes forsan requirantur, unum singulorum locorum Pastorem, cui adjutor unus vel plures in suo munere obeundo adsignari poterunt, prout Præsuli ipsi visum fuerit. In iis verò locis in quibus specialis nulla hujusmodi dispositio à Præsule facta fuerit, statuimus Sacerdotem, qui post latum hoc Decretum primus deputatus fuerit à Præsule ad id munus obeundum, habendum esse Pastorem; alios autem Sacerdotes postea deputatos, adjutores ejus habendos, donec aliter Præsul ipse statuerit.

V. Cùm sæpiùs Æditui laici abusi sint jure sibi à civili potestate tributo, in magnum Religionis detrimentum, non sine Fidelium scandalo, optamus maximè nullam in posterum erigi Ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit Episcopo in cujus Diœcesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem Fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit: Regularium etiam privilegiis sartis tectis servatis, secundùm ea quæ à Jure Canonico et Romanorum Pontificum Constitutionibus decreta sunt. Hoc tamen Decreto nihil innovare volumus in eâ

ratione agendi quam in suâ Diœcesi Episcopus Carolopolitanus jam servat.

VI. Quoniam graves ortæ sunt turbæ diversis temporibus in hac Provinciâ, laicis hominibus, præsertim Ædituis, sibi perperàm assumentibus jus patronatûs, et (quod magis mirandum est) jus institutionis ad Ecclesias seu Missiones, adeò ut Pastores, seu Missionarios sibi eligere vellent, etiam invito Episcopo, eosque retinere in pastorali munere contra Episcopi voluntatem; vel eos quos Episcopus probaverat rejicerent, vel dimittere aggrederentur, vel muneris sui exercitium impedire, subsidiis ad vitæ sustentationem subductis, seu aliâ quâvis ratione; quorum conatibus nonnulli Sacerdotes sinistros ob fines favisse aliquando noscuntur: Litteris Apostolicis sac. mem. Pii PP. VIII, et Leonis XII, ac S. Congregationis responsis inhærentes, hoc nostro Decreto declaramus repugnare prorsùs doctrinæ et disciplinæ Ecclesiæ jus illud à laicis assumptum instituendi, seu dimittendi Pastores: et insuper declaramus nullum jus patronatûs cujuscumque generis quod sacri agnoscant Canones, competere nunc alicui personæ, laicorum Congregationi, Ædituorum cœtui, seu aliis quibuscumque personis in hac Provinciâ. Declaramus etiam stipendia, seu subsidia quæcumque, quæ solent à Fidelibus tribui, vel ob loca quæ in Ecclesiis occupant, vel ob servitium quod Ecclesiis seu Missionibus Sacerdotes impendunt, vel ut fundus ad Ecclesiam ædificandam comparetur, vel ut Ecclesia extruatur (quæ subsidia plerumque tribuuntur collatitiâ stipe, et nullâ assignatâ Ecclesiæ certâ dote) nullum jus tribuere Patronatûs, quod à sacris Canonibus agnoscatur.

VII. Insuper vehementer urgemus omnes hujus Provinciæ Præsules ut religioni, paci Ecclesiæ, et sacerdotalis ordinis dignitati consulant, saltem facultates statim revocando, vel ab omni sacro munere suspendendo, quoadusque post integram pœnitentiam et satisfactionem ipsis Præsulibus visum in Domino fuerit, quemcumque Clericum qui aliquatenùs usurpationis hujusmodi fabricator, seu ei consentiens fuerit, prout à Tridentinis Patribus est statutum.

VIII. Præterea, si plebs aliqua, seu Congregatio, seu Ædituorum cœtus, seu alii quicumque aggressi fuerint aliquâ ratione contra Præsulis voluntatem in Ecclesiâ quâcumque retinere Sacerdotem aliquem qui à Præsule non fuerit approbatus, vel cujus facultates fuerint ablatæ, vel qui suspensus fuerit (quamdiù non fuerit à legitimo Superiore rehabilitatus); vel si Congregatio illa, seu Ædituorum cœtus molestiam inferat in suo munere obeundo alicui Sacerdoti sacrum munus exercenti cum Præsulis approbatione, aut subducat vel retineat consuetum subsidium ad illius sustentationem; Præsules urgemus omninò ut tum demùm interdicant ipsorum Ecclesiam (quoadusque tanto malo remedium afferatur), cùm cetera omnia remedia inutilia esse appareat. Hortamur etiam omnes Præsules in hac Provinciâ, ut sæpè sæpiùs Administratoribus rerum temporalium quæ ad Ecclesiasticos et pios usus destinentur, proponant et inculcent, et executioni demandari curent quæ à Concilio Tridentino in hanc rem sunt sanctissimè decreta. (Sess. 22, cap. 11 de Ref.)

IX. Cùm sacrarum Scripturarum depositi, à Domino Ecclesiæ commissi, fidelis custodia ab Episcopis requirat ut totis viribus adnitantur ne verbum

Dei, hominum fraude vel incuriâ adulteratum Fidelibus præbeatur, omnes hujus Provinciæ animarum Pastores vehementer hortamur, ut ea omnia quæ in re tanti momenti à S. Conc. Trid. decreta, à Summis Pontificibus, præsertim à Leone XII, et à Pio VIII fel. rec. in suis litteris Encyclicis commendata, atque ab Illmo ac Revmo Joanne Carroll, Archiepiscopo Baltimorensi, unà cum Episcopis aliis hujus Provinciæ, in Conventu habito anno 1810 statuta fuerunt, semper præ oculis habeant: biblia ab Acatholicis vitiata à suis ovibus arceant, et nonnisi ex probatis versionibus atque editionibus, verbi Dei pabulum incorruptum illis desumere permittant. Statuimus igitur ut Duacensis versio, quæ in omnibus Ecclesiis quarum Fideles anglicè loquuntur recepta, et à prædecessoribus nostris usui fidelium meritò proposita est, omninò retineatur. Curabunt autem Episcopi ut, juxta exemplar probatissimum ab ipsis designandum, omnes tum Novi, tum Veteris Testamenti Duacensis versionis editiones in posterum emendatissimè fiant, cum adnotationibus quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis Catholicisque viris tantùm desumptæ sint.

X. Cùm vehementer optemus ut, quatenùs fieri poterit, per totam nostram Provinciam accuratè serventur quæ salubriter in Rituali Romano præscripta sunt, utpotè quæ venerandæ antiquitatis exemplo, et Apostolicæ Sedis nituntur auctoritate; et ut tollantur abusus, seu suppleantur omissiones ortæ ex priorum temporum difficultatibus; injungimus omnibus Sacerdotibus in hac Provinciâ degentibus, ut studeant Ritualis regulas accuratè servare. Eum in finem quædam inde desumpta in memoriam revocamus.

XI. "Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac sa-"cramento Confirmationis consignatos esse maximè "convenit. Sciant præterea Parochi (quod et de "Sacerdotibus omnibus qui baptismum administrant "intelligendum est) ad hoc munus non esse admit-"tendos infideles, aut hæreticos; non publicè excom-"municatos, aut interdictos; non publicè criminosos, "aut infames; nec præterea, qui sanâ mente non "sunt; nec qui ignorant rudimenta Fidei: hæc enim "Patrini spirituales filios suos quos de baptismi "fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè do-"cere tenentur. (*Rit. Rom.*)"

XII. De nominibus in Baptismo imponendis præscribit Rituale: "Quoniam iis qui baptizantur, tan-"quàm Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus "militiam adscribendis, nomen imponitur; curet (Sa-"cerdos) ne obscena, fabulosa, aut ridicula, vel ina-"nium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum "nomina imponantur; sed potiùs, quatenùs fieri po-"test, Sanctorum, quorum exemplis Fideles ad piè "vivendum excitentur, et patrociniis protegantur."

XIII. Quando diversa tum Sanctorum, tum familiæ nomina in baptismo infantibus tribuuntur, si Sacerdos censuerit expedire, in primâ interrogatione omnia nomina exprimat; in sequentibus tamen formis et precibus, nomina vulgò dicta Christiana tantùm repetat. In libro autem baptismatum, omnia nomina recenseantur.

XIV. Missionariis, juxta Ritualis Romani præscriptum, et prædecessorum nostrorum decreta, injungimus, ut in suis Ecclesiis libros habeant in quibus referant Baptismata, Confirmationes, Matrimonia et Sepulturas; eosque Ordinario in suâ visitatione exhibeant.

XV. Meminerint etiam Missionarii Rituale Romanum, et universalem Ecclesiæ consuetudinem exigere ut aqua, in baptismo adhibita, fuerit benedicta in eum finem, vel Sabbato sancto Paschæ, vel Sabbato Pentecostes, vel alio saltem tempore ante baptismi administrationem, formâ in ipso Rituali præscriptâ. Curandum iis idcircò, ut Fontes baptismales, *sub clavi*, in unaquâque Ecclesiâ, ubi baptismi sacramentum ordinariè ministratur, quamprimùm erigantur; prope quos, omnia quæ ad administrationem hujus Sacramenti pertinent, nitidè serventur.

XVI. Ex præteritorum temporum difficultate, invaluit in his regionibus consuetudo baptismum privatis in domibus administrandi. Cùm igitur magnæ gravitatis sit generalem legem in illis regionibus servandam statim ferre, cui contraria est consuetudo; etsi censemus curandum esse, quoad fieri potest, ut hoc Sacramentum in Ecclesiâ conferatur, tamen Episcoporum et Missionariorum judicio relinquimus, ut statuant quando sint urgendi Fideles ut infantes ad Ecclesiam deferant, ut baptismus iis conferatur.

XVII. Censemus infantes Acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos quoties probabilis affulget spes Catholicæ eorum educationis. Curandum autem omninò est ut Patrinus, vel Matrina, iique Catholici, habeantur. Meminerit autem Sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solùm posse, sed etiam debere.

XVIII. Cùm, non sine necessitate atque utilitate, invaluerit in hac Provinciâ consuetudo eamdem adhibendi formam in baptismo adultorum ac parvulorum, ex cujus abrogatione plura magnaque incommoda,

judicio Præsulum, sequerentur; S. Sedi reverenter exponenda rerum adjuncta censemus, ut consuetudo jam invalescens adhuc permittatur.

XIX. Optant Præsules hujus Provinciæ ut benedictio mulieris post partum, non promiscuè, atque nullâ ratione habitâ puerperæ dispositionis, neque extra Ecclesiam, vel locum ubi Sacrum fit, in posterum conferatur.

XX. Statuimus, juxta Ritualis Romani præscriptum, in sacramentis administrandis, et in defunctorum sepulturâ, Sacerdotes omninò teneri ad adhibendam linguam Latinam: et si censuerint expedire, explicationis causâ, eorum quæ recitant adjungere versionem linguâ vernaculâ, eam tantùm versionem adhibendam esse, quæ fuerit ab Ordinario sancita. Ubicumque autem consuetudo aliqua invaluerit huic Decreto adversa, eam quamprimùm abrogandam statuimus.

XXI. Statuimus Confirmationis sacramentum administrandum esse nemini minori septennio, nisi ob peculiares rationes, v. g. in mortis periculo.

XXII. Quandocumque Confirmatio plurimis administratur, statuimus schedulas quasdam, quibus nomina eorum qui confirmandi sunt inscribantur, à Pastore unicuique dandas, quas Episcopo Sacramentum administraturo exhibeant.

XXIII. Statuimus Sacerdoti nulli, vi facultatum generalium sibi concessarum celebrandi in quocumque loco decenti, licere Missam celebrare in ædibus privatis, nisi in Stationibus, et in iis ædibus quas Ordinarius designaverit; aut dum, actu, Missionis exercitiis, procul ab aliquâ Ecclesiâ, dat operam. Quòd si Ordinarii aliàs concedant licentiam celebrandi in privatis ædibus, ob speciales circumstanti-

as, iis commendamus eam pro unâ tantùm vel alterâ vice concedere.

XXIV. In divino Sacrificio celebrando detur opera diligenter, ut omnia Altarium ornamenta, et sacra vasa sint munda; non fœda corporalia, vel purificatoria; non vestes laceræ, vel indecentes; indusia verò privati apparatûs sub amictu et albâ lateant, ita ut non indecoro, vel mundano more appareant; nec quidquam Altari tremendo, vel Sacramentorum administratione indignum sit.

XXV. Vehementer hortamur Præsules, ut omni studio curent Confessionalia erigenda in omnibus Ecclesiis publicis hujus Provinciæ: et, cùm erecta fuerint, nemini Sacerdotum licebit confessiones mulierum alio in loco excipere, sine speciali Ordinarii licentiâ. Hanc verò nunquàm concedendam confidimus, præterquàm Sacerdotibus ætate provectis, vel infirmis, vel ob pœnitentes surdas; vel aliis in casibus, in quibus ex hujus regulæ observantiâ gravia orirentur incommoda. Eam etiam conditionem semper adjiciendam volumus, ut nunquàm confessiones mulierum in privatis ædibus, nisi per crates interpositas, et in loco patenti, quantùm per loci rationem licebit, excipiantur.

XXVI. Pastores animarum monemus ut, sui officii memores, omnem adhibeant sollicitudinem ad ritè disponendos fideles qui sacramentum Matrimonii suscipere velint; nec se peccato immunes existiment, si temerè quoslibet manifestè indignos jungant. Revocent igitur Fidelibus in memoriam Tridentini Concilii sapientissima hac in re monita, eaque servari curent. Ea etiam omnia quæ à prædecessoribus nostris in Synodo et Conventu antehàc habitis, juxta S. Sedis et Conciliorum probatorum auctoritatem,

sancita sunt, sedulò sequantur, pro prudente Religionis studio, Ordinarii uniuscujusque in suâ Diœcesi statutis et jussis semper præ oculis habitis.

XXVII. Sacerdotibus omnibus curandum est ut veste talari et superpelliceo in omni sacro munere obeundo utantur. Iis etiam vehementer commendamus ut vestem talarem constanter, quatenùs fieri possit, gerant: quòd si eam induere peculiaria rerum adjuncta non sinant, ipsis omninò injungimus iis tantùm uti vestibus quæ suo congruant ordini, scilicet, quæ nigri sint coloris, et omni inani ornatu careant, sintque ab omni mundanâ vanitate prorsùs alienæ.

XXVIII. Evitent diligenter Sacerdotes omnem illicitum ludum: atque etiam ab omnibus quibuscumque ludis abstineant, etsi in animi diversionem, qui scandalo esse possint.

XXIX. Sacerdotes omnes, quibus cura animarum commissa est, monemus muneris quod sibi incumbit, populum sibi creditum edocendi; ideoque juxta Tridentini Concilii sancta statuta, Dominicis Festisque diebus, brevi perspicuoque sermone, audientium captui accommodato, eos fidei mysteriis instruant, et ad virtutum exercitium et ad vitia fugienda hortentur. Curent etiam ut, juxta ejusdem Synodi statuta, pueri rudes iisdem diebus aliisve opportunis temporibus rudimenta fidei edoceantur; nec omittant ipsi Pastores ea familiari sermone explicare.

XXX. Præsules hortamur maximoperè, ut omnes Sacerdotes sæpiùs moneant sui officii munerum; et ad quotidianam meditationem, annuos recessus, collationes spirituales, gratiarum actiones post Missam, aliaque pietatis exercitia, prout sinunt cujuslibet Diœcesis circumstantiæ, excitent.

XXXI. Quoniam maximè desiderantur libri Anglicè conscripti, qui de sacris ritibus tractent, statuimus librum Cæremoniarum, qui Rituali Romano sit conformis, et S. Sedis judicio subjiciendus, ex probatis operibus componendum, ut Sacerdotes Clericique omnes per hanc Provinciam accuratè calleant et servent ritus Ecclesiæ universalis. Ei autem præmitti volumus explicationem eorumdem rituum, ut Fideles sacris functionibus adsistere possint majori sensu et ædificatione.

XXXII. Quoniam uniformitas etiam in rebus minimis maximè optanda Ecclesiæ semper visa est, statuimus Superpelliceum esse debere modestum, decorum, et sacris functionibus conveniens. Statuimus etiam ut Biretum, cùm Episcopis singulis visum fuerit morem illud gestandi in suas Diœceses inducere, Romano Bireto sit conforme.

XXXIII. Quoniam multa incommoda jam orta sunt, et in posterum oritura videntur ex eo quòd in diversis hujus Provinciæ Diœcesibus diversi catechismi et libri precum adhibeantur, privatâ auctoritate editi, et quoniam uniformitas in iis maximè optanda est; curent Episcopi ut illi tantùm catecheseos libri usurpentur, qui cum eorum approbatione editi fuerint, aliis quibuscumque postpositis. Dabitur autem opera ut catechismus componatur, qui circumstantiis hujus Provinciæ magis accommodatus, Catholicam doctrinam in catechismo Cardinalis Bellarmini expositam tradat, quique, post Sedis Apostolicæ approbationem, edetur in communem Catholicorum usum. Moneant insuper fideles ut à precum libellis, qui sine Ordinarii approbatione à privatis quibuscumque in lucem editi circumferuntur, abstineant.

XXXIV. Quoniam quamplurimos adolescentes ex Catholicis parentibus, præsertim pauperibus, ortos, in multis Provinciæ hujus locis expositos esse, et adhuc exponi constat magno fidei amittendæ periculo, vel morum corruptelæ, ob inopiam talium magistrorum quibus tantum munus tutò committi possit; necessarium omninò censemus ut Scholæ instituantur, in quibus juvenes edoceantur fidei morumque principia, dum litteris imbuuntur.

XXXV. Cùm non rarò plura reperiantur in libris qui in scholis plerumque adhibentur, quibus principia fidei nostræ impugnantur, dogmata nostra perperàm exponuntur, et ipsa historia pervertitur, quâ ratione puerorum animi erroribus imbuuntur, in animarum damnum gravissimum; postulat tum Religionis studium, tum juventutis recta educatio, et ipsum Fœderatæ Americæ decus, remedium aliquod tanto malo afferri. Eâ de causâ statuimus quamprimùm edendos in scholarum usum, erroribus omninò expurgatos, atque judicio Episcoporum approbatos libros, quibus nihil contineatur quod Catholicæ fidei odium vel invidiam parere possit.

XXXVI. Insuper, sapientissimis monitis Summi Pontificis Leonis XII fel. mem. ad Archiepiscopum Baltimorensem directis obsequentes, statuimus Societatem quamdam ad disseminandos libros Catholicos instituendam, quæ ex Prælatis hujus Provinciæ, et aliis quos sibi adsciscant, constet.

XXXVII. Confirmationem eorum omnium, quæ in hoc nostro Concilio Provinciali decreta sunt, ab Apostolicâ Sede, cujus examini et judicio subjiciuntur, petendam statuimus. Postquàm autem S. Sedis judicium nobis innotuerit, hortamur Præsules omnes hujus Provinciæ ut Synodum Diœcesanam

habeant, et executioni demandari curent ea quæ S. Sedis auctoritate fuerint firmata.

XXXVIII. Statuimus denique proximum Concilium Provinciale habendum esse post triennium, nisi gravi de causâ Archiepiscopo videatur illud ultrà differre.

† Ego Jacobus, *Archiepiscopus Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus Joseph, *Bardensis Episcopus, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Carolopolitanus Episc., definiens subscripsi.*

† Ego Eduardus, *Cincinnatensis Episc., definiens subscripsi.*

† Ego Joseph, *Episc. S. Ludovici, et Admin. Apost. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

Ego Gulielmus Matthews, *Vic. Apost., et Administrator Diœcesis Philadelphiensis, subscripsi.*

Una cum Decretis suprà descriptis, Patres Concilii Baltimorensis Epistolam miserunt ad SS. Pontificem, quâ Sanctitati Suæ supplicabant pro quibusdam privilegiis, quæ in ipsorum Diœcesibus necessaria esse videbantur. Sic porrò scripserunt:

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO

PATRI

PIO VIII PONTIFICI MAXIMO.

Beatissime Pater,

ARCHIEPISCOPUS Baltimorensis, unà cum Episcopis Bardensi, Carolopolitano, Cincinnatensi, Sanctiludovicensi, Bostoniensi, et Vicario generali Apostolico Philadelphiensi, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humiliter exponit:

1. In omnes Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœceses à Missionariis usum inductum fuisse baptizandi Adultos eâ formâ quæ in Rituali Romano ad pueros baptizandos præscribitur, prætermissâ eâ quæ in eodem Rituali pro adultis adhibenda assignatur. Spectatis rerum adjunctis in quibus hìc Missionarii versantur, habitâ etiam ratione frequentiæ hujusmodi adultorum baptismi, usus præfatus difficilè mutaretur. Nam ferè semper desunt Clerici, aliique Ministri, qui ad majorem illam solemnitatem requiruntur; ritus etiam valdè longior tempus exigeret quod non semper Missionariis suppetat; tandem cæremoniæ quædam, ut prostrationes, signa crucis super oculos, os, et pectus facienda, scandalum parere possent, quando speciatim puellæ, vel fœminæ erunt baptizandæ. Ideoque Sanctitatem Vestram humiliter precantur, ut auctoritate Apostolicâ permittere dignetur, quandocumque baptismus in nostris hisce regionibus adultis erit administrandus, ut ritus ad baptizandos infantes in Rituali Romano præscriptus possit adhiberi.

2. Cùm Missionariis ad sacramenta in nostris hisce regionibus administranda Fidelibus in locis maxi-

mè inter se dissitis commorantibus, non rarò centum, ducentorum, trecentorum passuum millium spatium percurrendum esset, cumque nullæ essent, vel saltem paucissimæ Ecclesiæ, ubi baptismales fontes potuissent asservari, sacramentum baptismi aquâ communi, cùm illud alibi quàm in Ecclesiis administrandi sese dabat occasio, conferre consueverunt. Circumstantiis nunc saltem in partem mutatis, decretum est in Provinciali Synodo ne in posterum, exceptâ urgente necessitate, aquâ communi baptismus administretur. Attamen, cùm in omnibus Diœcesibus adhuc longum spatium à Missionariis percurrendum sit, et in pluribus regionibus nulli sint Fontes baptismales, nullæ Ecclesiæ, valdè difficile, ac vix possibile Missionariis esset aquam Sabbatis Sancto vel Pentecostes benedictam ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre; ideoque SANCTITATEM VESTRAM precantur Archiepiscopus et Episcopi prædicti, ut facultatem Missionariis hujus regionis concedere dignetur benedicendi aquam Baptismalem eâ breviori formulâ, quâ Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex PAULUS III uti concessit. Atque hæc ex Rituali Limæ impresso anno 1797 desumpta, subnectitur:

BENEDICTIO FONTIS, SEU AQUÆ BAPTISMALIS.

"EXORCIZO te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi † Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritûs † sancti. Exorcizo te, omnis virtus adversarii diaboli; ut omnis phantasia eradicetur, ac effugetur ab hac creaturâ aquæ, et fiat fons aquæ salientis in vitam æternam, ut qui ex eâ baptizati fuerint, fiant templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eis in remissionem

peccatorum: in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur ut hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris; et super has aquas abluendis et vivificandis hominibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, ut peccatis prioris vitæ ablutis, reatuque deterso, purum sacrato Spiritui habitaculum regenerationibus procuret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Infundat deinceps Sanctum Oleum in aquam, in modum crucis, dicens:

Conjunctio Olei unctionis, et aquæ Baptismatis sanctificetur, et fœcundetur. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † sancti. ℟. Amen.

Deinde Chrisma aquæ infundat in modum crucis, et dicat:

Conjunctio Chrismatis sanctificationis, et Olei unctionis, et aquæ Baptismatis, sanctificetur, et fœcundetur. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † sancti. ℟. Amen.

Denique dicat, benedicens ipsam aquam:

Sanctificetur et fœcundetur Fons iste, et ex eo renascentes. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † sancti. ℟. Amen."

3. Tandem, cùm ob locorum distantiam, operariorumque penuriam, valdè difficile, et aliquandò etiam impossibile est, ut Sacerdotes possint audire confessiones fidelium, eosque disponere ad debitam re-

ceptionem sacramenti Eucharistiæ intra quindenam Paschalem, Archiepiscopus et Episcopi prædicti humiliter petunt SANCTITATEM VESTRAM ut consuetudinem per hasce regiones olim inductam (ex Apostolico, uti creditur, Indulto) prorogandi tempus ad satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis, auctoritate Apostolicâ approbare, atque à primâ Dominicâ Quadragesimæ ad Dominicam usque Trinitatis, prudenti arbitrio Ordinarii, extendere dignetur.

Datum Baltimori, anno Reparatæ Salutis 1829, die verò 24 Octobris.

De mandato Illustrissimi Archiepiscopi, ac RR. PP. DD. Baltimorensis Provinciæ Præsulum.

EDUARDUS DAMPHOUX, S. T. D.
Concilii Provin. Balt. Secretarius.

BENIGNE concessit SS. Pontifex privilegia suprà commemorata, ut sequentia decreta testantur.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE FORMA IN BAPTISMO ADULTORUM ADHIBENDA.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, habitâ die 28 Junii anno 1830, referente Emo ac Rmo D. PETRO S. R. E. Cardinali CAPRANO, expositum fuerit RR. PP. DD. Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos Diœcesum Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum, in Synodo Provinciali Baltimorensi, mense Octobri anno 1829 celebratâ congregatos, per supplicem libellum Romam missum, SSmum Dnum Nostrum precatos

esse, ut supremâ auctoritate suâ concederet servari consuetudinem in iis regionibus jam obtinentem baptizandi adultos eâ formâ quæ in Rituali Romano ad baptizandos pueros præscribitur, prætermissâ eâ quæ in eodem Rituali pro adultis baptizandis præscripta est: S. Congregatio, rerum ac locorum adjunctis maturè perpensis, censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro pro gratiâ ad viginti annos, attentâ consuetudine jam vigente, Missionariorum inopiâ, et temporis angustiis in quibus Missionarii versantur, ut ceteris sacri Ministerii officiis fungi possint.

Hanc autem Sacræ Congregationis sententiam, SSmo Dño Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII relatam per R. P. D. Castruccium Castracane, Sac. Cong. Secretarium, Sanctitas Sua, in audientiâ diei 26 Septembris 1830, benignè approbavit, et facultates necessarias atque opportunas ad memoratam formam in baptismo adultorum adhibendam, ad viginti annos impertita est.

Datum Romæ ex Æd. dic. S. Congreg. die 16 Octobris 1830.

D. Maurus Card. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. Castracane, *Secr.*

Beatissime Pater,

ARCHIEPISCOPUS Baltimorensis, et Episcopi Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum, in Synodo Provinciali Baltimorensi mense Octobri anno 1829 celebratâ congregati, Sanctitati Vestræ exponunt valdè difficile esse in permagnâ locorum distantiâ Sacerdotes ad baptisma conferendum

aquam Sabbatis Sancto et Pentecostes benedictam, ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre: quare Sanctitatem Vestram precantur ut facultatem Missionariis Americæ Septentrionalis concedere dignetur benedicendi aquam baptismalem eâ breviori formulâ, quâ Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex PAULUS III uti concessit, quæque in Rituali Limæ anno 1797 impresso, refertur.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE CONFICIENDA AQUA BAPTISMALI.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, habitâ die 28 Junii anno 1830, referente Emo ac Rmo D. PETRO S. R. E. Cardinali CAPRANO, actum fuerit de petitione superiùs expositâ, quæ RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis et Episcoporum Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum nomine facta est, eadem S. Congregatio censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro ut petitam facultatem concedere dignaretur.

Hanc autem Sacræ Congreg. sententiam SSmo Dño Nostro PIO, Div. Prov. PP. VIII relatam per R. P. D. CASTRUCCIUM CASTRACANE, S. Congreg. Secretarium, in audientiâ diei 26 Septembris anno 1830, Sanctitas Sua benignè provabit, et facultatem de quâ agitur impertita est.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 16 Octobris 1830.

D. M. CARD. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. CASTRACANE, *Secret.*

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, QUO PROROGATUR TEMPUS AD SATISFACIENDUM PRÆCEPTO COMMUNIONIS PASCHALIS.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, habitâ die 28 Junii anno 1830, relatus fuerit supplex libellus ab RR. PP. DD. Archiepiscopo Baltimorensi et Episcopis Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum, in Synodo Provinciali mense Octobri anno 1829 celebratâ congregatis exaratus, quo SSm̃um Dn̄um Nostrum precabantur ut, habitâ ratione Sacerdotum inopiæ, locorum distantiæ, et consuetudinis jam vigentis, facultatem concederet, pro omnibus illis Diœcesibus, prorogandi tempus ad satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis à primâ Dominicâ Quadragesimæ ad Dominicam SS. Trinitatis inclusivè; eadem S. Congregatio, referente Em̃o ac Rm̃o D. Cardinali Petro Caprano, censuit ac decrevit supplicandum SSm̃o Dn̄o Nostro pro gratiâ.

Hanc autem S. Congreg. sententiam SSm̃o Dn̄o Nostro Pio, Div. Prov. PP. VIII relatam per R. P. D. Castruccium Castracane, Sacræ Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, in audientiâ die 26 Septembris 1830, benignè approvabit, et petitam facultatem concessit.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 16 Octobris 1830.

D. Maurus Card. CAPPELLARI, *Præf. P.*

C. Castracane, *Sec.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE II,

HABITUM

ANNO 1833.

CONCILIUM PROVINCIALE II,

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI,

ANNO 1833.

ACTA CONCILII.

EX litteris convocationis Illmi ac Revmi D. Jacobi Whitfield, Archiepiscopi Baltimorensis, Baltimori convenerunt Præsules quorum nomina sequuntur, qui sederunt juxta ordinem consecrationis suæ, nempè:

Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis, Jacobus Whitfield, consecratus die 25 Maii 1828;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista David, Episcopus Mauricastrensis, *in partibus infidel.* et Coadjutor Illmi ac Revmi D. Benedicti Josephi Flaget, Episcopi Bardensis, consecratus die 15 Augusti 1818;

Illmus ac Revmus D. Joannes England, Episcopus Carolopolitanus, consecratus die 21 Septembris 1820;

Illmus ac Revmus D. Josephus Rosati, Episcopus S. Ludovici, consecratus die 25 Martii 1824;

Illmus ac Revmus D. Benedictus Fenwick, Episcopus Bostoniensis, consecratus die 1 Novembris 1825;

Illmus ac Revmus D. Joannes Dubois, Episcopus Neo-Eboracensis, consecratus die 29 Octobris 1826;

Illmus ac Revmus D. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis, consecratus die 5 Novembris 1826;

Illmus ac Revmus D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Arathensis, *in partibus infidel.* et Coadjutor Episcopi Philadelphiensis, consecratus die 6 Junii 1830;

Illmus ac Revmus D. Résé, Episcopus Detroitensis, consecratus die 6 Octobris 1833;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis, consecratus die 13 Octobris 1833.

Dubium quidem ortum fuerat utrùm Revmo D. David, Coadjutori Episcopi Bardensis, votum definitivum jure competeret, et inter Episcopos Provinciales sedere deberet: Patribus autem visum est utrumque jure ei competere, cùm S. Congregatio Rituum ita censuisse referatur apud Ferrarim, verbo *Coadjutor*, in casu Episcopi Famaugustani, Coadjutoris Episcopi Veronensis.

Revmus Episcopus D. Kenrick, Coadjutor Episcopi Philadelphiensis cum plenâ potestate ad regendam Diœcesim Philadelphiensem, sedit juxta ordinem promotionis suæ; Patribus, unanimi consensu, censentibus votum definitivum ei jure competere, cùm jurisdictionem omnem in Diœcesim Philadelphiensem ab Episcopo Philadelphiensi in eum Apostolica Sedes transtulerit.

Aberat Illmus ac Revmus D. Benedictus Josephus Flaget, Episcopus Bardensis, qui ob infirmam valetudinem longum iter conficere non valuit.

Officiales Concilii, proponente Illmo ac Revmo Archiepiscopo, et Patribus assentientibus, electi sunt:

Illmus ac Revmus Episcopus Bostoniensis, et admodùm Reverendus Ludovicus Regis Deluol, Vicarius Generalis Archidiœcesis Baltimorensis, Promotores;

Rev. D. Joannes Baptista Ludovicus Eduardus Damphoux, Rector Ecclesiæ Metropolitanæ Baltimorensis, et Rev. D. Joannes Hoskyns, Secretarii;

Rev. D. Joannes Joseph Chanche, Vice-præses Collegii S. Mariæ Baltimorensis, Magister cæremoniarum; postremò Rev. D. Joannes Randanne, et Rev. D. Petrus Fredet, Cantores nominati sunt.

Theologi consultores admissi sunt spectatissimi Sacerdotes infrà descripti:

Admodùm Rev. Patres Gulielmus McSherry, Provincialis Societatis Jesu, et Nicolaus D. Young, Dominicanorum, in Fœderatæ Americæ Provinciis, Provincialis;

Admodùm Rev. D. Joannes Tessier, Vic. Gen. Archidiœcesis Baltimorensis;

Admodùm Rev. D. L. R. Deluol, Vic. Gen. et Seminarii S. Mariæ Baltimorensis Superior;

Rev. D. J. B. L. E. Damphoux, Archiepiscopi Baltimorensis Secretarius;

Rev. D. Augustus Jeanjean, è Diœcesi Neo-Aureliæ;

Rev. D. Samuel Eccleston, Præses Collegii S. Mariæ Baltimorensis, ab Archiepiscopo designatus Theologus;

Rev. D. Ludovicus Debarth, ab Episcopo Mauricastrensi designatus Theologus;

Rev. D. Andreas Byrne, ab Episcopo Carolopolitano adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Odin, ab Episcopo S. Ludovici adductus Theologus;

Rev. D. Joannes J. Chanche, ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Joannes Power, ab Episcopo Neo-Eboracensi adductus Theologus;

Rev. D. Petrus Mauvernay, ab Episcopo Mobiliensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Hughes, ab Episcopo Arathensi adductus Theologus;

Rev. D. Gulielmus Matthews, ab Episcopo Detroitensi designatus Theologus;

Rev. D. Simon Bruté, ab Episcopo Cincinnatensi designatus Theologus;

Anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo tertio, die verò vigesimâ Octobris, quæ fuit Dominica, habita est prima Sessio solemnis in Ecclesiâ Metropolitanâ. Missam *de Spiritu sancto* celebravit Illmus et Revmus Archiepiscopus, considentibus ex utrâque Chori parte Episcopis mitrâ et pluviali indutis, Sacerdotibus juxta cancellos in orbem albâ et casulâ ornatis. Post Missam solemnem, habita est Concio ab Illmo ac Revmo Episcopo Carolopolitano: quâ finitâ, quæ in Pontificali præscribuntur accuratè servata sunt. Fidei professionem, juxta formulam à Pio V præscriptam, emiserunt Episcopi, qui priori Concilio non adfuerant.

Durante Concilio, Congregationes bis singulis per hebdomadam diebus habitæ sunt, Episcopis ab horâ nonâ usque ad meridiem in ædibus Archiepiscopi

convenientibus, unà cum Promotoribus et Secretariis; in Ecclesiâ verò Metropolitanâ, ab horâ quartâ post meridiem ad horam sextam, omnibus Theologis consultoribus adstantibus. Ut autem faciliori expeditiorique negotio mens Theologorum de quæstionibus in Concilio tractandis innotesceret, visum est Patribus eas examini variarum Congregationum subjicere, quæ, ea quæ de his sentirent, ad ipsos referrent.

Die 24 Octobris, Missam solemnem defunctorum celebravit Rm̃us Episcopus S. Ludovici pro Episcopis Cincinnatensi et Neo-Aurelianensi qui, ab ultimo Provinciali Concilio, è vita migrarunt; eorumque Orationem funebrem habuit Revm̃us D. Joannes B. Purcell, prioris successor. Deinde verò secunda Sessio publica habita est, prout in Pontificali statuitur.

Die verò 27 Octobris, Præsules, Sacerdotes, Clerusque omnis, solemni supplicatione circa Metropolitanam Ecclesiam processerunt: deinde Missa solemnis ab Episcopo Bostoniensi est celebrata. Concio, post Missam, habita est ab Episcopo Carolopolitano; et ceteris quæ in Pontificali præscribuntur peractis, Sessione tertiâ et ultimâ, quæ sequuntur Decretis Patres subscripserunt.

DECRETA CONCILII.

I. STATUTUM est supplicandum esse SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI, pro erectione novæ sedis Episcopalis Vincennopoli, in Provinciâ *Indiana*.

II. Statutum est supplicandum S. Sedi, ut, sublatâ Diœcesi *Richmond*, tota *Virginiæ* Provincia Archidiœcesi Baltimorensi iterùm adjungatur.

III. Cùm S. Congregatio de Propagandâ Fide demandaverit Episcopis ut inquirerent, et referrent quinam sint singularum Diœcesum limites, humiliter S. Congregationi referendum duxerunt:

Archidiœcesis Baltimorensis complectitur totam Provinciam *Marylandiæ* cum *Districtu* (uti dicitur) *Columbiæ*, cui etiam Provincia *Virginiæ* quæ impræsentiarum Diœcesim *Richmond* constituit, ex Concilii sententiâ, videtur adjungenda.

Diœcesis Philadelphiensis complectitur totam Provinciam *Pennsylvaniæ*, unà cum Provinciâ *Delaware*, et parte occidentali Provinciæ *New-Jersey*, quæ olim vocabatur *West-Jersey*.

Diœcesis Neo-Eboracensis complectitur Provinciam ejusdem nominis, unà cum parte orientali Provinciæ *New-Jersey*, olim dictâ *East-Jersey*.

Cùm autem antiqua divisio orientalis et occidentalis, seu *East* et *West-Jersey*, jam in tabulis geographicis documentisque publicis negligatur, et limites Episcopatuum Philadelphiensis et Neo-Eboracensis eâ ex parte idcircò incerti evaserint, videtur Patribus supplicandum S. Sedi ut declaret Comitatus *Hunterdon*, *Warren*, *Burlington*, *Gloucester*, *Salem*, *Cum-*

berland, *Cape-May*, qui olim ad occidentalem *Jersey* pertinebant, Episcopo Philadelphiensi in posterum censendos esse subjectos; ceteris Comitatibus, videlicet *Sussex*, *Bergen*, *Morris*, *Essex*, *Somerset*, *Middlesex* et *Monmouth* Episcopatui Neo-Eboracensi adjunctis.

Diœcesis Bostoniensis complectitur Provinciam *Massachusetts*, unà cum Provinciis *Connecticut*, *Rhode-Island*, *Vermont*, *New-Hampshire* et *Maine*.

Diœcesis Detroitensis complectitur Territorium *Michigan*, unà cum Territorio dicto *North-Western*.

Diœcesis Cincinnatensis complectitur Provinciam *Ohio*.

Diœcesis S. Ludovici complectitur Provinciam *Missouri*, unà cum Territorio dicto *Arkansas;* et donec alia erecta fuerit Sedes Episcopalis in Territorio intra limites Statuum Unitorum, quod ad occidentalem plagam fluminis *Mississippi* jacet, spirituali jurisdictioni Episcopi S. Ludovici Territorium illud subjectum remanet.

Diœcesis Bardensis complectitur Provinciam *Kentucky* unà cum Provinciâ *Tennessee*.

Diœcesis Carolopolitana complectitur Provincias tres, scilicet *Carolinam Meridionalem*, *Carolinam Septentrionalem* et *Georgiam*.

Diœcesis Neo-Aurelianensis complectitur Provincias *Luisianæ* et *Mississippi*.

Diœcesis Mobiliensis complectitur Provincias *Alabamæ* et *Floridarum*.

Cùm autem nova sedes Episcopalis Vincennopoli in Provinciâ *Indianæ* erigenda videatur, Patres censuerunt supplicandum Sedi Apostolicæ ut tota Provincia *Indianæ*, unà cum parte *Illinois* Diœcesim novam constituat, reliquâ parte Diœcesi S. Ludo-

vici adjunctâ. Quæ autem pars utrique adjungenda sit diœcesi, Patres sic exposuerunt: videtur utriusque diœcesis limitem incipere debere à flumine *Ohio* prope castellum *Massæ*, atque inde excurrere Septentrionem versùs, unà cum finibus orientalibus Comitatuum *Johnson*, *Franklin*, *Jefferson*, *Marion*, *Fayette*, *Shelby* et *Macon*; rectâ lineâ pergendo ad magna fluenta fluminis *Illinois* sita ad octo ferè millia passuum supra oppidum *Ottawa* in Comitatu *Lasalle*, et inde usque ad fines Provinciæ.

Cùm autem Apostolicæ litteræ, quibus aliquarum ex diœcesibus jam constitutis limites definiuntur, non suppetant, supplicandum Summo Pontifici censuerunt Præsules, ut supremâ suâ auctoritate limites suprà designatos sanciret.

IV. Cùm ex litteris Emi Cardinalis Præfecti Congregationis de Propagandâ Fide intellexerint Concilii Provincialis Patres gratissimum fore S. Congregationi in Concilio Provinciali tractari de methodo quâdam quæ servari semper debeat in commendandis Sedi Apostolicæ Sacerdotibus, ex quibus novus Episcopus eligatur:

Censuerunt Patres oportere ut Episcoporum totius provinciæ, immò Fœderatæ Americæ, donec altera erecta fuerit provincia Ecclesiastica, de singulis qui ad Episcopatum promovendi videantur, exquiratur sententia. Id autem facillimè fieri in Concilio Provinciali patet: quapropter Episcopis, quoties in Concilium congregantur, consulendum existimant, ut collatis inter se sententiis, idoneos et de Ecclesiâ benè meritos Sacerdotes, qui Sedes tum fortè vacantes impleant, proponant; sibique etiam, si Coadjutoris operâ quis se indigere existimat, de eodem ex collegarum suffragiis et S. Sedis auctoritate provideant.

Ne autem contingat Sedem aliquam vacare dum nulla futura est copia proximè habendi Concilii, suadent Patres singulis Episcopis ut nomina trium quos idoneos judicent diœcesi regendæ, scripto mandata in scriniis suis servent, chartamque habeant sigillo munitam, exteriùs etiam ita notâ obsignatam, ut Vicarius Generalis eam, ipsis defunctis, transmittere possit; duplexque etiam ejusdem exemplum habendum, quorum unum ad Archiepiscopum, alterum ad Episcopum propinquiorem, vel ad seniorem ex duobus Episcopis propinquis mittatur. Scribet autem ad Archiepiscopum Episcopus propinquior, suasque animadversiones adjiciet: litteris autem illius Episcopi acceptis, vel, si neglexerit scribere, rationabili elapso tempore, scribet Archiepiscopus ad omnes Episcopos, ne propinquiore quidem illo Episcopo excepto, et nomina illa cum suis animadversionibus transmittet, aliorum etiam nominibus adjectis, si illi quos Episcopus ante obitum designavit Archiepiscopo, ipsi haud idonei videantur. Post acceptas Archiepiscopi litteras, omnes Episcopi ad S. Congregationem scribent, suas sententias et suffragia de tribus illis, vel sex ad summum, exposituri. Vacante verò Sede Metropolitanâ, litteræ Vicarii Generalis ad seniorem Suffraganeum dirigendæ sunt, qui ad ceteros Episcopos, prout suprà, scribet. Quòd si nulla charta nomina illa habens in scriniis defuncti Episcopi, vel aliàs reperiatur, Vicarius Generalis Episcopum propinquiorem, vel seniorem ex duobus propinquis, eâ de re statim monebit, ut Episcopus ille propinquior tria proponat nomina pari ratione ad Archiepiscopum et Episcopos ceteros, et ad S. Congregationem transmittenda. Quòd si neglexerit Episcopus propinquior intra tempus rationabile tria nomina propo-

nere, Archiepiscopus ipse ad Episcopos omnes scribet, tresque nominabit, de quibus Episcopi ad S. Congregationem suas sententias exponent.

In seligendis autem Sacerdotibus ad tantum gradum provehendis, sequentes regulas præ oculis habendas censuerunt Patres:

Nulli Episcopo invito dandum esse Coadjutorem, nisi collegarum judicio S. Sedi probato, ipse Episcopus jam non sit regimini idoneus; Coadjutorem autem debere ab Episcopo cui datur seligi, collegis assentientibus: idcircò nomina tria eorum, ex quibus Episcopus Coadjutorem eligendum vult, ad Archiepiscopum et Episcopos ceteros, et ad S. Congregationem transmittet. Si autem intra tres menses post Episcopi obitum, Concilium Provinciale habendum sit, expectandum erit donec Patres convenerint, antequàm ad S. Congregationem scribatur.

V. Censuerunt Patres saluti Indorum (qui extra Provincias Fœderatas et Territoria jam designata, atque omnium quæ hactenùs erectæ sunt diœceseon limites, constituendi sunt ex civilis potestatis auctoritate) prospiciendum, eorum curam Societati Jesu demandando: quapropter S. Sedem implorandam duxerunt, ut hæc ei Missio concredatur.

VI. Nigrorum etiam hominum, qui in Liberiam Africæ coloniam ex his regionibus migrant, saluti Patres consulendum ducentes, Apostolicam Sedem supplicant ut missio in eam regionem sub curâ Patrum Societatis Jesu instituatur.

VII. Revm̃is Episcopis S. Ludovicì et Bostoniensi munus à Patribus demandatum est concinnandi, et hujus Concilii nomine et auctoritate, in lucem edendi Ritualis Romani accuratam editionem, necnon ejusdem breve exemplar in usum Missionariorum; atque

utrisque editionibus, in modum appendicis, adjungendi modificationes hucusque à S. Sede concessas, unà cum versione, vernaculâ linguâ, eorum quæ prædictis Præsulibus vertenda esse visa fuerint.

VIII. Episcopis commendant Patres ut omni studio curent Seminaria in suis Diœcesibus, juxta Tridentinorum Patrum decreta, erigere; eamque, quatenùs locorum adjuncta patiuntur, in omnibus sequi formam, quam ipsi Tridentini Patres præscribunt: Fidelium autem studium sæpiùs Episcoporum hortationibus accendendum duxerunt, ut eleemosynam in opus adeò Ecclesiæ profectui necessarium liberaliter conferant.

IX. Visum est Patribus munus seligendi, componendi vel corrigendi libros in Catholicorum collegiorum et scholarum præsertim usum, et ut ab omni errore contra fidem expurgati in lucem edantur curandi, committere Præsidibus, pro tempore existentibus, trium Collegiorum in Archidiœcesi Baltimorensi, nempè S. Mariæ Baltimorensis, S. Mariæ apud Montes, et Collegii Georgiopolitani. Sanxerunt etiam Patres ut hi libri cum approbatione duorum saltem ex Præsidibus prædictorum Collegiorum, atque ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, typis mandentur; operam omnem se adhibituros pollicentes ut in collegiis, scholis, et ubique apud Fideles, recipiantur.

X. Ne vagi, ignoti, pravique Sacerdotes sacra aggrediantur munera cum offensione Fidelium, revocandas esse facultates, quas communi quodam pacto Episcopi sibi invicem in Conventu anno 1810 habito largiti sunt, censuerunt Patres: ideoque in posterum neminem ex Sacerdotibus, vi illius pacti, posse jurisdictionem exercere, vel sacrum aliquod aggredi munus, absque Ordinarii auctoritate.

XI. Statuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Dominicâ tertiâ post Pascha, anno Domini 1837.

Hæc omnia nobis visa sunt, et consensu communi probata et firmata in Sessione solemni habitâ in Ecclesiâ Metropolitanâ Baltimorensi, die 27 Octobris anno Dñi 1833.

† Ego Jacobus, *Arch. Balt. definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista Maria, *Episcopus Mauricastrensis, in partibus infidelium, et Coadj. Episcopi Bardensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joseph, *Episc. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episc. Arathen. in partibus infidelium, et Coadj. Episcopi Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Fredericus, *Episc. Detroitensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

Ego infrascriptus Secretarius Concilii Baltimorensis Provincialis secundi, testor Acta et Decreta suprà memorata, juxta exemplar ab ipsis Præsulibus propriâ manu subscriptum, fuisse expressa, atque eidem in omnibus conformia reperiri.

E. Damphoux.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLMĒ AC REVMĒ DOMINE,

PERSPICUUM novumque Amplitudo tua, et Episcopi Fœderatæ Americæ diœcesum ediderunt testimonium singularis quo præstant erga Religionem amoris, alterum Provinciale Concilium præterito mense Octobri Baltimori celebrando. Ea enim omnia, quæ ibi gesta ac statuta sunt, ex studio profecta esse intelliguntur, quo omnes incensi estis Ecclesiæ utilitatis procurandæ: SSm̃us Dn̄us Noster GREGORIUS PP. XVI, scriptis à se ad vos litteris suis, quas huic Epistolæ adjectas reperietis, id auctoritate suâ testatum voluit. Nunc meum est, S. Congregationis nomine, ad vos scribere, et vestræ virtuti iterùm ex animo gratulari, et eos observantiæ sensus confirmare, quibus vos omnes de Religione optimè meritos jure prosequimur.

Venio autem ad ea quæ in Concilio illo pertractata, et Sedis Apostolicæ judicio à vobis subjecta sunt. Equidem arbitror jam ad Amplitudinem tuam pervenisse Sacræ Congregationis epistolam, die 17 Maii scriptam, quâ Brevia Apostolica continebantur de Sedis Episcopalis Vincennopolitanæ erectione, deque R. P. D. SIMONIS BRUTÉ ad illum Episcopatum electione.

His litteris nunc adjectam accipies SSm̃i Dn̄i Nostri GREGORII PP. XVI Bullam Apostolicam, quâ Diœcesum omnium in Americâ Fœderatâ existen-

tium limites statuuntur. Ita omnis dubiorum occasio circa jurisdictionem à singulis Episcopis exercendam penitùs auferetur.

Quod pertinet ad spiritualem curam gerendam Missionum ad Indos, qui extra Provincias Fœderatas et Territoria jam designata, atque omnium quæ hactenùs erectæ sunt Diœcesum limites, ex civilis potestatis auctoritate constitui debent, placuit S. Congregationi Patribus Societatis Jesu tale negotium esse committendum. Ita quoque placuit Nigrorum hominum, qui ex istis regionibus in *Liberiam* Africæ coloniam migrant, spiritualem curam eidem Societati Jesu commendandam esse. Egimus utrâque de re cum Rmo P. Societatis Jesu Generali Ministro, certumque habemus Patres Societatis omnem operam daturos esse, ut vestra et S. Congregationis vota felicem exitum consequantur.

De methodo servandâ in istarum Diœcesum Episcopis eligendis, mitto ad Amplitudinem tuam decretum S. Congregationis jussu et auctoritate editum. Curabis ut ad singulos Fœderatæ Americæ Episcopos ejusdem decreti exemplar mittatur, ut omnes in tam gravi negotio normam tenendam agnoscant.

Denique, ut par erat, amplissimis laudibus S. Congregatio prosequuta est initum ab Amplitudine tuâ et Episcopis collegis tuis consilium de novâ faciendâ Ritualis Romani editione, deque libris componendis qui ad institutiones philosophicas et theologicas tradendas in scholis adhibeantur. Erit verò S. Congregationi gratissimum tum Ritualis, tum librorum de quibus sermo est, exemplar, postquàm editum fuerit, recipere.

Præcipua hæc sunt, quæ circa Ecclesiastica negotia in Concilio Baltimorensi Provinciali secundo per-

tractata, S. Congregationis nomine, tibi ceterisque Episcopis collegis tuis significare debebam. Reliquum est ut Amplitudini tuæ, ac memoratis RR. PP. DD. Episcopis Americæ Fœderatæ fausta omnia precer, et Deum optimum maximum exorem, ut ad Ecclesiæ utilitatem vos omnes diù incolumes ac felices servet.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 26 Julii 1834.

C. M. Card. PEDICINI, *Præf.*
A. Maius, *Secr.*

BREVE EPISTOLARE

SS. DÑI NOSTRI GREGORII PP. XVI AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

Venerabilibus Fratribus Jacobo *Archiepiscopo Baltimorensi, et ejus Suffraganeis.*

GREGORIUS PAPA XVI.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

PERLATÆ dudùm ad nos fuerant Epistolæ vestræ, unà cum decretis Concilii Provincialis proximo anno à vobis celebrati, quæ auctoritati nostræ Apostolicæ obsequentissimo, ut par erat, animo subjecistis. Hæc omnia expensa, nobis jubentibus, sunt à nostrâ Propagandæ Fidei Congregatione, quæ opportunum vobis dabit circa illa responsum. Accipietis simul Apostolicas nostras Litteras super nonnul-

lis eorum quæ statuistis, seu postulastis. Verùm et voluimus nostrum erga vos studiosissimum animum hac item Epistolâ declarare. Siquidem ex memoratâ Synodo, atque ex iis quæ ad nos hac occasione scripsistis, mirificè confirmata est quæ de vestro pro Dei honore, animarumque salute spectatissimo zelo, et singulari erga communem omnium Ecclesiarum matrem ac magistram Romanam Sedem obsequio nobis jamdiù insita erat existimatio; eoque ipso auctam in nobis sensimus caritatem illam, quâ Fraternitates vestras effusè in Domino prosequebamur. Pergite itaque, ut facitis, Venerabiles Fratres; et quoniam justorum semita crescit usque ad perfectam diem, urgete alacriori quotidiè sedulitate saluberrimam talentorum negotiationem, quæ est de animabus Christo lucrandis; vigilate super creditas vobis Dominicæ vineæ partes, plantate, rigate, in spe ac patientiâ; nihil quidem vestris tribuentes viribus, sed omnia ad Ejus gloriam referentes, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate. Ita de fructu pastoralis curæ in multorum salutem amplificato gaudebitis, ac per bona opera certam vestram vocationem et electionem facientes, uberrimam accipietis in æternitate mercedem. Ad nos quod attinet, persuasum habetote, Venerabiles Fratres, auctoritatem et studia nostra nunquam, quantùm cum Domino poterimus, esse vobis defutura: ac Fraternitatibus vestris novam semper virtutem ex alto implorantes, pignus nostræ præcipuæ benevolentiæ Apostolicam benedictionem, cum creditis etiam fidei vestræ ovibus communicandam, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 23 Aprilis anno 1834, Pontificatûs nostri anno quarto.

BULLA APOSTOLICA

SS. DNI NOSTRI GREGORII PP. XVI, QUA DIŒCESUM IN FŒDERATIS AMERICÆ SEPTENTRIONALIS PROVINCIIS LIMITES STATUUNTUR.

GREGORIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

BENEDICTUS Deus cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus. Nos quidem amaritudinibus undique affici, ac fluctibus sine intermissione jactari permittit, animo tamen despondere non patitur, gaudiisque interdùm spiritualibus dignatur cor nostrum reficere ac dilatare, ut alacriores effecti Apostolicæ sollicitudinis curas ad remotissimas quoque orbis regiones impensè conferamus, et quidquid orthodoxæ fidei dilatationi, Pastorum tranquillitati et recto Christifidelium regimini aptiùs congruere conspicimus, id Apostolicâ quâ fungimur auctoritate statuamus et decernamus.

Nobis sanè quo felici successu Catholicæ Religionis negotia in Provinciis Fœderatis Americæ Septentrionalis progrederentur, jam tum planè innotuit, cùm in minoribus constituti, Congregationi Propagandæ Fidei operam nostram, priùs Consultoris officio, dein Cardinalis Præfecti munere impenderemus. Postquàm verò ineffabili Dei bonitate, nullisque nostris suffragantibus meritis, ad Ejus vices in terris gerendas qui gloriosus regnat in cœlis, vocati fuimus, lætiora etiam et indubia de sacrosanctæ Ca-

tholicæ fidei propagatione, deque venerabilium Fratrum Episcoporum concordiâ, studio et curâ in pascendis ac regendis ovibus sibi commissis, divinoque cultu augendo, nobis allata sunt testimonia. Supra modum itaque lætitiâ perfundimur, ac Deo optimo maximo, bonorum omnium largitori, debitas persolvimus gratias, simulque preces supplicationesque nostras effundimus, ut qui cœpit opus bonum ipse perficiat, gaudiumque nostrum reddat plenum. Nos interea eorumdem Antistitum postulationibus obsecundare, et Christifidelium utilitati, quantùm nobis ex alto datum est, prospicere volentes, limites Diœcesum in memoratis regionibus existentium singillatim describendos putamus, ut Catholicæ Religionis negotia laudabilibus in dies possint proficere incrementis, ac de profectu sanctarum ovium haurientium aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, fiat corona immarcescibilis Pastorum. Etenim ad aures nostras pervenit, ex plurium Sedium Episcopalium erectione haud longo annorum decursu expletâ, ob magnum quod accepit orthodoxa fides in Americâ Fœderatâ incrementum, vetusta Diœcesum confinia evasisse minùs accommodata vel incerta, proindeque ad omnem quoque dubitationis et anxietatis tollendam occasionem, quæ circa jurisdictionis Ecclesiasticæ exercitium, venerabiles Fratres Episcopos ac dilectos Filios Presbyteros in illâ vineæ Domini parte, tam naviter ac tam prosperè, adjuvante Domino, laborantes perturbare, et vinculum charitatis quo in Domino colliguntur abrumpere posset, esse omninò necessarium ut certi locorumque conditioni congruentes illarum Diœcesum limites per Apostolicam Sedem, quæ divinitùs super omnes alias Ecclesias jurisdictionis obtinet primatum, statuantur et describantur.

Quapropter nos qui rem universam Congregationi Ven. Fratrum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, expendendam commisimus, eorumdem consilio adhærentes, atque etiam Episcoporum votis in Synodo Provinciali Baltimorensi mense Octobri superioris anni Millesimi octingentesimi trigesimi tertii congregatorum annuentes, ex certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Deiparæ laudem, ac Fidei Catholicæ exaltationem, limites Diœcesum in Americâ Fœderatâ in hunc qui sequitur modum assignamus atque circumscribimus, eosque ab omnibus perpetuò ac inviolabiliter servari jubemus, atque mandamus, nimirùm:

Archidiœcesis Baltimorensis complectetur totam Marylandiæ Provinciam cum Districtu fœderali Columbiæ. Archiepiscopus prætereà Baltimorensis Episcopalem Sedem Richmondensem, donec aliter à S. Sede provideatur, Administratoris titulo, procurabit, atque hæc Diœcesis Virginiæ Provinciam subjectam habebit.

Diœcesis Bostoniensis comprehendet sex Provincias quæ vulgò Nova Anglia nuncupantur, id est, *Massachusetts*, *Maine*, *New-Hampshire*, *Rhode-Island*, *Connecticut*, *Vermont*.

Diœcesis Novi Eboraci continebit Provinciam ejusdem nominis, atque etiam Comitatus in Provinciâ *New-Jersey* existentes, scilicet: *Sussex*, *Bergen*, *Morris*, *Essex*, *Somerset*, *Middlesex* et *Monmouth*.

Diœcesis Philadelphiæ constabit ex Provinciis Pennsylvaniæ et *Delaware*, unà cum sequentibus Comitatibus in Provinciâ *New-Jersey*, hoc est: *Hunterdon*, *Warren*, *Burlington*, *Gloucester*, *Salem*, *Cumberland* et *Cape-May*.

Diœcesis Carolopolitana complectetur Provincias Carolinam Meridionalem, Carolinam Septentrionalem, et Georgiam.

Diœcesis Mobiliensis efformabitur ex Provinciis *Alabama* et Floridarum.

Diœcesis Novæ Aureliæ constituetur ex Provinciis Luisianæ et *Mississippi*.

Diœcesis Cincinnatensis continebit *Ohio* Provinciam.

Diœcesis Detroitensis comprehendet Territoria *Michigan*, et *Nord-Ouest*, seu *North-Western*.

Diœcesis Bardensis habebit Provincias *Kentucky* et *Tennessee*.

Diœcesis S. Ludovici complectetur Provinciam *Missouri*, unà cum Territorio dicto *Arkansas*; et donec aliud à S. Sede statuatur, habebit quoque Territorium ad Occidentalem plagam fluminis *Mississippi*.

Diœcesis denique Vincennopolitana comprehendet Provinciam Indianæ, unà cum parte *Illinois*, cujus reliqua pars Diœcesi S. Ludovici adjungetur, ita quidem ut utriusque Diœcesis limites in Provinciâ Illinensi statuantur hoc modo: Incipiendo à flumine *Ohio*, quod ad meridiem dividit *Kentucky* ab *Illinois*, et propriè ab Castello Massæ ducatur linea recta per fines orientales Comitatuum *Johnson*, *Franklin*, *Jefferson*, *Marion*, *Fayette*, *Shelby* et *Macon*, usque ad magna fluenta fluminis *Illinois*, quæ sunt ad octo millia passuum supra oppidum *Ottawa* in Comitatu *Lasalle*, et hinc usque ad Septentrionalem Provinciæ finem, adeò ut pars Occidentalis lineæ Provinciæ Illinensis pertineat ad Diœcesim S. Ludovici, pars verò Orientalis ad Diœcesim Vincennopolitanam omninò spectet.

Itaque venerabili Fratri Jacobo, Archiepiscopo Baltimorensi, quem in præsentium litterarum exequutorem eligimus ac deputamus, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse per se vel per alios viros Ecclesiasticâ dignitate insignitos, ab eo subdelegandos, hasce nostras litteras ubi et quando opus fuerit, ac quoties ab iis quorum interest, aut ab aliquo eorum fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostrâ ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; atque ut tam ipse quàm personæ ab eo subdelegandæ, super quâcumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet oriturâ, etiam definitivè et quâcumque appellatione remotâ, pronunciare liberè ac licitè possit atque valeat, contradictores quoslibet ac rebelles per sententias, censuras pœnasque Ecclesiasticas, aliaque juris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, plenam et omnimodam facultatem concedimus atque largimur. Eidem verò Archiepiscopo Baltimorensi præcipimus ac mandamus, ut singulorum actorum in harum litterarum executione conficiendorum exemplar, authenticâ formâ exaratum, intra decem menses ab expletâ ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in Archivo Congregationis Propagandæ Fidei asservari volumus. Præsentes verò litteras semper ac perpetuò validas et efficaces existere ac fore, nulloque unquam tempore, subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aliove quovis defectu, etiam ex eo quòd ii quorum interest seu interesse possit in futurum, cujusvis statûs, ordinis, præeminentiæ ac dignitatis sint, illis non consenserint, aut minimè vocati et

auditi fuerint, aut ex eo quòd solemnitates ac quæcumque alia forsan servanda minimè servata fuerint, impugnari aut in controversiam vocari posse; sed tanquàm ex Pontificiæ providentiæ officio ac motu proprio factas, omnimodâ firmitate existere suosque plenarios ac integros effectus sortiri, sicque ab omnibus censeri; ac ita, et non aliàs per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quâvis auctoritate fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi ac interpretandi facultate, judicari et definiri debere: et si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus, atque declaramus. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, nec non Apostolicis et Synodalibus Constitutionibus, ceterisque etiam speciali et individuâ mentione dignis, in contrarium præmissorum editis; quibus omnibus, hac vice dumtaxat, et ad præmissorum effectum, derogamus ac derogatum esse volumus.

Hujusmodi autem litterarum transumptis seu exemplis et impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eamdem ubique locorum, in judicio et extra, fidem præberi volumus, quæ his præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ circumscriptionis, assignationis, immutationis, concessionis, commissionis, mandati ac voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo trigesimo quarto, decimo quinto Kalendas Julias, Pontificatûs nostri anno quarto.

Loco † Plumbi.

Super quibus quidem litteris Ego Notarius Apostolicus præsens transumptum confeci et signavi, præsentibus DD. Germano et Damaso Testa testibus.

Concordat cum Originali.

ALEXANDER MACIOTI, *Officialis deputatus.*

B. Card., *Pro-datarius.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE METHODO SERVANDA IN EPISCOPORUM DIŒCESUM FŒDERATARUM AMERICÆ SEPTENTRIONALIS PROVINCIARUM ELECTIONE.*

CUM ad Religionis incrementum in Fœderatæ Americæ regionibus stabiliùs procurandum, imprimis conferat ut Episcoporum Diœcesum ibi statutarum electionis gravissimum negotium ritè sancteque absolvatur, S. Congregatio de Propagandâ Fide valdè opportunum esse ad hoc consequendum existimans ut certa methodus ubique in illis Diœcesibus servanda statuatur, quâ fiat ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum Sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, in generali Conventu die 18 Martii anno 1834 habito, referente Emo

* De hac methodo aliquid immutatum fuit per aliud Decretum, quod infrà inter Acta Synodi Provincialis VII positum est.

et Rmo D. Josepho Antonio S. R. E. Cardinali Sala, censuit ac decrevit in eâ re esse servanda quæ sequuntur:

Cùm aliqua Sedes Episcopalis vacaverit, requirendum est Episcoporum omnium Provinciæ Ecclesiasticæ suffragium de Sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicæ commendandi esse videntur pro novâ Episcopi electione. Quoniam verò id in Concilio Provinciali facillimè et accuratè fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi Concilium Provinciale habendum est, expectanda erit Concilii celebratio, antequàm ad commendandos Sacerdotes qui Episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Concilio autem, collatis inter se sententiis, Episcopi statuant quos Sacerdotes S. Sedi commendent verè idoneos et de Ecclesiâ benè meritos, qui Sedes vacantes obtineant, vel Coadjutoris officium suscipiant illius Episcopi, qui auxilio Coadjutoris indigere censeatur.

Quod spectat verò ad casus quibus, prout superiùs statutum est, Concilii Provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliquandiù vacet, primùm hoc magnoperè opportunum factu est, ut singuli Episcopi litteras subscriptas et sigillo munitas, duplici exemplo, apud se habeant, quibus contineantur nomina trium saltem Sacerdotum, quos idoneos arbitrentur ad Diœcesim regendam. Eæ autem litteræ ita exteriùs obsignari debent, ut adveniente Episcopi morte, Vicario Generali tradendæ esse intelligantur: Vicarius verò Generalis alterum earum litterarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquiorem, vel ad seniorem ex duobus Episcopis propinquioribus deferendum curet. Eo litterarum exemplo accepto, Episcopus propinquior ad Archiepiscopum

scribet, suasque animadversiones adjiciet. Epistolâ Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delatâ, vel, si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos, ne propinquiore quidem excepto, scribet, et nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat, Archiepiscopo idonei minimè videantur. Post acceptas Archiepiscopi litteras, omnes Episcopi ad S. Congregationem sine morâ scribent, suas sententias et suffragia de tribus illis vel sex commendatis exposituri. Vacante Sede Metropolitanâ, litteræ Archiepiscopi demortui nomina trium Sacerdotum designantis, à Vicario Generali ad Episcopum propinquiorem et ad Suffraganeum Episcopum seniorem mittendæ sunt; Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quæ de Archiepiscopo superiùs statuta sunt, ubi agitur de Episcopi electione.

Quòd si apud Episcopum vel Archiepiscopum demortuum litteræ memoratæ de trium Sacerdotum designatione non reperiantur, Vicarius Generalis Episcopum propinquiorem, vel seniorem ex duobus propinquioribus, de eâ re certiorem statim faciet, ut Episcopus propinquior tria designet Sacerdotum nomina in Epistolâ ad Archiepiscopum mittendâ. Archiepiscopus, eâ acceptâ, ad omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient, quæ jam indicata sunt circa agendi rationem tenendam, ubi litteræ Episcopi aut Archiepiscopi Sacerdotum nomina ante mortem designantis fuerint repertæ: si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina Sacerdotum Suffraganeis omnibus, propinquiore non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus

suffraganeus faciet omnia, quæ in Episcopi electione ab Archiepiscopo facienda esse decretum est. Quod pertinet ad electionem Coadjutorum, excepto casu quo Sedes Apostolica aliâ ratione agendum esse statuerit, Episcopus qui Coadjutorem petit, nomina trium Sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de eâ re ad S. Congregationem mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de Coadjutore eligendo communicabunt.

Hæc sunt quæ in commendandis Sedi Apostolicæ Sacerdotibus pro Fœderatæ Americæ Episcoporum electione S. Congregatio servanda præscripsit. Ea verò decernens, notum omnibus esse voluit, in litteris de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed propriè dictam commendationem; ut etiam ex litterarum formâ pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illæsa Sedis Apostolicæ libertas in eligendis Episcopis. Commendationes verò lumen tantùm et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 14 Junii 1834.

C. M. Ep. Prænest. Card. PEDICINI, *Præf.*

A. Maius, *Secr.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE III,

HABITUM

ANNO 1837.

CONCILIUM PROVINCIALE III,

BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI,

ANNO 1837.

ACTA CONCILII.

SESSIO PRIMA.

DOMINICA III post Pascha, die 16 Aprilis anno R. S. 1837, inceptum est Concilium Baltimorense Provinciale tertium in Ecclesiâ Metropolitanâ, horâ decimâ A. M.

Post solemnes supplicationes ab ædibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Illmo et Revmo D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; et post Concionem ab Illmo ac Revmo D. Francisco Patritio Kenrick, Episcopo Arathensi, et Coadjutore Episcopi Philadelphiensis, apertum est Concilium juxta formam in Pontificali præscriptam, emissâ fidei professione ab Illmo ac Revmo Archiepiscopo, et Illmis ac Revmis Episcopis Bolinensi, Oriensi, Vincennopolitano et Neo-Aurelianensi, qui primâ vice Concilio Provinciali aderant.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Illmus ac Revmus D. Josephus Rosati, Episcopus S. Ludovici;

Illmus ac Revmus D. Benedictus Josephus Fenwick, Episcopus Bostoniensis;

Illmus ac Revmus D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Arathensis, et Coadjutor Episcopi Philadelphiensis, cum plenâ potestate in Diœcesim Philadelphiensem;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis;

Illmus ac Revmus D. Guido Ignatius Chabrat, Episcopus Bolinensis, et Coadjutor Episcopi Bardensis;

Illmus ac Revmus D. Gulielmus Clancy, Episcopus Oriensis, et Coadjutor Episcopi Carolopolitani;

Illmus ac Revmus D. Simon Gabriel Bruté, Episcopus Vincennopolitanus;

Illmus ac Revmus D. Antonius Blanc, Episcopus Neo-Aurelianensis.

Placuit Patribus, proponente Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo, designare Officiales Concilii Provincialis:

Illmum ac Revmum D. Benedictum J. Fenwick, Promotorem primum, cum potestate designandi Congregationes;

Admodùm Reverendum D. Ludovicum R. Deluol, S. T. D., Vicarium Generalem Archiepiscopi Baltimorensis, Promotorem secundum;

Rev. D. Eduardum Damphoux, S. T. D., Metropolitanæ Ecclesiæ Rectorem, Secretarium;

Rev. D. Carolum I. White, Rectoris Metropolitanæ Ecclesiæ Adjutorem, socium Secretarium;

Rev. D. Franciscum Lhomme, et D. Hugonem Griffin, Magistros Cæremoniarum;

Rev. DD. Joannem Randanne et Petrum Fredet, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 17 Aprilis, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus. Aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, et Illmus ac Revmus D. Joannes England, Episcopus Carolopolitanus, qui aperto jam Concilio advenit. Adfuerunt insuper admodùm Rev. D. Promotor secundus, et Secretarii.

Illmus ac Revmus D. Joannes Dubois, Episcopus Neo-Eboracensis, litteris per procuratorem missis, se excusatum haberi rogavit; quod Patribus visum est.

Exhibito Mandato procurationis ab admodùm Rev. D. Felice Varela, Vicario Generali Episcopi Neo-Eboracensis, ut sui Episcopi vicibus in Concilio Provinciali fungatur, iis privilegiis fruiturus quæ Patribus visum fuerit, placuit ut admittatur cum voto consultativo tantùm.

Patribus visum est expedire preces Summo Pontifici porrigere, ut nova Sedes Episcopalis in urbe Pittsburgi erigatur, quæ suâ ditione eam partem provinciæ Pennsylvaniæ complectatur, quæ Occidentalis dicitur, vulgò *The Western District of Pennsylvania*, juxta divisionem civilem quæ legibus ejusdem Provinciæ statuta est.*

* Respectivi limites Pittsburgensis et Philadelphiensis Diœcesum certiore lege definiti sunt anno 1850. Decretum eâ de re reperietur inter Acta Concilii Provincialis VII.

Placuit Patribus has sequentes regulas in privatis Congregationibus Episcoporum servari: 1. Invocatâ divini luminis gratiâ per Antiphonam *Veni sancte Spiritus*, Episcopi sedent juxta ordinem temporis suæ consecrationis. 2. Secretarius legit Acta Congregationis præcedentis: Episcopi, si quid circa illa mutandum, vel illis addendum putant, proponunt. 3. Promotor proponit unam de quæstionibus in Congregatione generali præcedenti agitatis; legit, vel legendum tradit Secretario votum Theologorum, quibus illius quæstionis examen commissum fuerat. 4. Episcopi sententiam suam aperiunt ordine quo sedent. 5. Demùm pluralitate votorum quæstio deciditur.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 17 Aprilis, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus. Aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, secundus Promotor, et Secretarii. Aderant insuper:

Admodùm Rev. Pater Gulielmus McSherry, Superior Societatis Jesu;

Rev. D. Joannes J. Chanche, Præses Collegii S. Mariæ Baltimorensis;

Rev. D. Petrus Schreiber, Rectoris Metropolitanæ Ecclesiæ adjutor;

} Theologi Metropolitanæ Ecclesiæ nominati.

Rev. D. Regis Loisel, ab Episcopo S. Ludovici adductus Theologus;

Rev. D. Thomas F. Mulledy, S. J. Præses Collegii Georgiopolitani, ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Ludovicus Debartii, ab Episcopo Arathensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Stephanus T. Badin, ab Episcopo Cincinnatensi adductus Theologus;

Rev. D. Ignatius A. Reynolds, ab Episcopo Bolinensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Hughes, ab Episcopo Oriensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Petrus R. Kenrick, Vicarius Generalis Episcopi Arathensis, ab Episcopo Vincennopolitano designatus Theologus;

Rev. D. Augustinus Verot, ab Episcopo Neo-Aurel. designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Felix Varela, V. G. Episcopi Neo-Eborac. Procurator;

Admodùm Rev. D. Petrus J. Verhægen, Superior Missionum Patrum Soc. Jesu in Diœcesi S. Ludovici.

Illm̃us ac Revm̃us Promotor legit sequentes regulas in Congregationibus publicis servandas: 1. Invocatâ Spiritûs sancti assistentiâ per Antiphonam *Veni S. Spiritus*, Episcopi sedent juxta ordinem consecrationis, et Theologi sedent hoc ordine: Vicarii Generales; Superiores Ordinum; reliqui Theologi juxta ordinem prioritatis ordinationis. 2. Promotor proponit quæstiones discutiendas, et requirit ut votum circa illas legatur ab uno ex Theologis Congregationis specialis, cui illarum examen commissum fuerat. 3. Lecto voto Theologorum, Promotor requirit à Theologis ut si quid circa illud dicendum habeant,

de eo privatim loquantur Promotori extra Congregationem, qui, si placeat, id proponet usitato modo.

Deinde lecta sunt quæ privatæ Theologorum Congregationes retulerant de quæstionibus ipsorum discussioni traditis, et Theologorum de his sententiæ ab Illmo ac Revmo Archiepiscopo rogatæ sunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 18 Aprilis, habita est secunda Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Recitatæ sunt sequentes litteræ quas Illmus ac Revmus D. Rese, Episcopus Detroitensis, Patribus Synodi Provincialis misit:

"Reverendissimi Patres in Synodo Provinciali Bal-
"timorensi congregati,

"Ægro quidem animo consecrationem, necnon et "Episcopatum, uti constat, suscepi; et re quidem "verâ, brevi tempore, experientiâ ipse satis cognovi "erectionem novæ Diœceseos ejusque administra-"tionem, plurimasque difficultates et molestias un-"dique erumpentes, esse pondus valdè nimis supra "humeros meos, ideoque sæpiùs in mente meâ con-"stitui Diœcesim meam in manus Sanctissimi et "Summi Pontificis nostri resignare, vel saltem Co-"adjutorem idoneum à S. Sede petere. Hoc autem "in præsentiarum executioni mandare cupio, et hac "de causâ duos jam Vicarios Generales, scilicet Rev. "DD. Badin et De Bruyn constitui, ut conjunctim "jurisdictionem in absentiâ meâ exerceant, donec "aliter statuatur. Hæc sunt, Reverendissimi Patres, "quæ vobis proponenda judicavi, et precor ut veniam "mihi concedere dignemini si Synodo huic Provin-

"ciali adesse non possim, et adjuvetis ut felicem ex-
"itum desideriorum meorum consequi merear, si bo-
"num in Domino videbitur.

"Baltimori, ex ædibus Seminarii S. Mariæ, die 15
"Aprilis 1837.

"† Fredericus Rese, *Episc. Detroitensis.*"

Lectis itaque suprà memoratis litteris, placuit preces Summo Pontifici porrigere ut dignetur resignationem Revmi D. Rese acceptare. Placuit etiam Summum Pontificem suppliciter rogare ut, acceptatâ ejusdem Episcopi resignatione, Episcopum qui Diœcesim Detroitensem regat, designare dignetur.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 18 Aprilis, habita est secunda Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus prima.

Aderant Illmi ac Revmi Patres, Officiales et Theologi qui heri, et insuper Rev. D. Joannes Hickey, Superior Puellarum Caritatis Emmittsburgi.

Discussio quæstionum in privatis Theologorum Congregationibus expensarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 19 Aprilis, habita est tertia Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Placuit Patribus ad expedienda Concilii negotia, in privatis Congregationibus ab horâ primâ P. M. ad horam secundam, de Sedibus novis erigendis, et de commendandis Sacerdotibus ad Episcopatum evehendis, singulis diebus agendum esse.

Deinde lata sunt decreta 1, 2, 3 et 4.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 19 Aprilis, habita est tertia Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus heri.

SESSIO SECUNDA.

Die 20 Aprilis, horâ decimâ, post Missam solemnem ab Illmo ac Revmo D. Fenwick, Episcopo Bostoniensi, et Concionem ab Illmo ac Revmo D. England, Episcopo Carolopolitano, habita est Sessio secunda in Ecclesiâ Metropolitanâ, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 20 Aprilis, horâ quintâ P. M. habita est quarta Congregatio publica, ut heri.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 21 Aprilis, horâ nonâ A. M. habita est quarta Congregatio privata, eodem loco quo prima.

Lata sunt decreta 5 et 6.

QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 21 Aprilis, horâ quartâ, habita est quinta Congregatio publica, ut heri.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 22 Aprilis, horâ nonâ, habita est quinta Congregatio privata, ut heri.

Lata sunt decreta 7, 8, 9, 10 et 11.

Visum est S. Sedem implorare, ut in religionis augmentum nova Sedes Episcopalis in urbe *Nashville* erigatur, totam Provinciam *Tennessee* suâ ditione complexura.

Visum est etiam S. Sedem supplicare ut nova Sedes Episcopalis in urbe *Natchez* erigatur, quæ totam regat Provinciam *Mississippi*.

Visum est quoque Beatissimo Patri porrigere preces ut nova Sedes Episcopalis in urbe *Dubuque* erigatur, quæ partem occidentalem Territorii quod *Wisconsin* vulgò audit, suâ ditione complectatur, scilicet quæ intra occidentalem Mississippii et orientalem Missurii fluminis ripam continetur.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quartâ post Pascha, die 23 Aprilis, horâ decimâ A. M. in Ecclesiâ Metropolitanâ convenerunt Illmus ac Revmus Archiepiscopus unà cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus et Theologis. Missam celebravit Illmus ac Revmus Episcopus S. Ludovici; concionem habuit Illmus ac Revmus Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est Sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ritè peracta et absoluta.

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, gratiæ.

Chorus. Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Provincialium frequentiâ

consolari jugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et in æternum.

Archid. Beatissimo Gregorio, Papæ et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum Gentium obedientia, et Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Chorus. Domine Deus, Sanctissimum Patrem gratiâ tuâ custodi; ut eo gubernante, Gentes sancto veræ fidei lumine perfusæ, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Patriarchis, et Archiepiscopis, et Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Chorus. Deus Pater luminum, illustra faciem tuam super servos tuos; accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

Archid. Fidelibus Provinciæ nostræ, et populo Christiano universo, pax Christi æterna.

Chorus. Memento, Domine Deus, in beneplacito populi tui, et confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Reverendissimorum hujus Provinciæ Episcoporum ad Ecclesias suas reditus, cum spirituali fructu uberrimo.

Chorus. Deduc eos, Domine, in viam rectam, et dirige gressus eorum in viam pacis, et ad dandam scientiam salutis plebi tuæ.

Archid. Nos, Domine, operarii in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium nostrum explentes, Decreta sancta exequentes, digni reddamur misericordiâ et gratiâ magni et supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul beatâ ejus Genitrice Maria, et omnibus Sanctis.

Chorus. Amen, amen.

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO.

GREGORIO PAPÆ XVI.

Beatissime Pater,

HAUD quidem fas esset Episcopis in Provinciâ Baltimorensi tertio Concilio congregatis, ex illo discedere, quin priùs commune et solemne testimonium ejus, quâ reverà erga Apostolicam Sedem, Sanctitatemque Vestram, venerationis, obedientiæ et devotionis, afficiuntur, exhibeant. Hujus ergò debiti, nobis profectò omnibus utpotè amantissimis filiis quàm maximè grati, solvendi gratiâ, hasce litteras mentis animique nostri, fortassè non adeò ut vehementer optamus, fideles interpretes, Romam ad Sanctitatis Vestræ pedes mittimus, unà cum Decretis quæ, Ecclesiarum nostrarum necessitatibus occurrentes, condenda censuimus. Hæc Apostolicæ Sedis judicio, ut par est, subjicimus; ut, si Sanctitati Vestræ probentur, necessariâ sanctione firmata optatum effectum feliciter consequantur. Pauca quidem decernenda judicavimus, sed præsentibus temporis rerumque adjunctis accommodata; ejusque naturæ, ut si unà cum præcedentium Provinciæ nostræ Conciliorum statutis fideliter serventur, gloriam Dei, animarum salutem, incrementumque Religionis, divinæ gratiæ auxilio, in nostris diœcesibus omninò promoveant. Deum bonorum omnium datorem benedicamus oportet, quia fecit nobiscum misericor-

diam suam, atque ineffabili Providentiâ Ecclesias hasce nostras, sive nascentes, sive adhuc infantes, sive adolescentes, sive etiam jam adultas, scuto inexpugnabili potentiæ suæ protexit. Quo impetu, quâ versutiâ, quoque conatu portæ inferi adversùs illas apud nos incessanter pugnaverint, Sanctitatem Vestram minimè latere arbitramur: monasteria flammis adusta, mortuorum sepulcra violata, sacrarum virginum instituta, Cleri populique catholici universi mores calumniis ad nauseam usque repetitis, et longè lateque innumeris impudentissimis libellis diffusis impetiti; sanctæ matris Ecclesiæ dogmata, doctrina, leges, ritus, disciplina, tum voce, tum scriptis, tum publicè, tum privatè, tum libris, tum periodicis foliis impugnata, et à privatis hominibus, et à Societatibus eo fine institutis ut pecuniâ operâque suâ Catholicæ religionis profectum, quocumque modo fieri possit, impediant. Hæc omnia, Beatissime Pater, Ecclesiis nostris, in regionibus istis, certum ultimumque exterminium minitari videbantur; sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum: laqueus quem nobis paraverant comprehendit eos, et inciderunt in foveam quam fecerant; et nedùm Sanctæ Ecclesiæ non nocuerunt, sed ad illius propagationem et gloriam odio, invidiâ, calumniis magis profuerunt, quàm si conatibus suis operam ad illius defensionem contulissent. Inde factum est, ut veritatem à sapientissimo magnoque Ecclesiæ doctore Augustino jam proclamatam experti simus: "Novit Deus de bonis mala facere, quàm mala nulla esse permittere." Dogmatum catholicorum veritatis, ecclesiasticæque disciplinæ sanctitatis assertores et

defensores invicti non defuerunt inter primi et secundi ordinis sacerdotes, qui ea tum voce, tum scriptis, propriâ luce, meridianâ clariore, exponerent, probarent, vindicarent. Proindeque præjudicia multa evanuerunt; calumniæ manifestò apparuerunt; veritas, erroribus fugatis, ut sol, nubibus dissipatis, post tempestatem splendidior apparuit, atque illis innotuit, ad quos fortassè nunquam secùs pervenisset. Virgines sacræ, monasteria, collegia, aliæque omnes tum ad juventutem in litteris et pietate instituendam, tum ad opera charitatis erga ægrotos, orphanos et pauperes exercenda, quæ in nostris diœcesibus extant domus, omnipotentis et protegentis Dei auxilio suffultæ, hostium invidiam et conatus irritos expertæ, nedùm aliquid publicæ æstimationis amiserint, à majore sanioreque civium parte quàm maximi fiunt, et venerationi habentur: illarum in dies numerus in crescit, sicut et puellarum atque puerorum, qui eorum curæ tum à Catholicis, tum à Protestantibus ipsis committuntur. Religiosorum quoque Ordinum, Ecclesiasticarumque Congregationum, Societatis Jesu, Prædicatorum, Sacerdotum Missionis, S. Sulpitii, et SS. Redemptoris Communitates, in hisce regionibus, velut granum sinapis, initio exiguas, feliciter crescere, stabilem regularemque formam accipere, mirabiliter florescere, et undequaque Christi bonum odorem effundere, atque strenuam vineæ Domini operam dare lætantes videmus. Numerus etiam ovium nostrarum multiplicatur in dies, tum naturali regiones nostras incolentium incremento, quod vix credi posset ab illis qui id suis oculis non vident, tum magnâ Catholicorum frequentiâ ex Europâ in Americam advenientium, tum etiam frequentibus Protestantium ad Catholicam fidem conversionibus.

Numerus etiam Ecclesiarum, parochiarum, seu, ut apud nos vocantur, Congregationum, augetur ubique, multoque magis augeretur, sed heu! Beatissime Pater, numerus operariorum, quamvis etiam increverit, et in dies increscat, valdè inferior est illi quo opus est, longè impar necessitatibus animarum nostræ curæ commissarum; et nemo est ex nobis, qui hac necessitate pressus, operariorum penuriæ effectus religioni infaustos deplorare non cogatur. Denique, et Sedium Episcopalium in hac nostrâ Provinciâ, Sanctitatis Vestræ providâ et sapienti ordinatione, auctus est numerus, atque nova diœcesis erecta jam experitur quantùm ad religionis incrementum gratia Episcopali ordini, Dei misericordiâ concessa, proficere possit. Re quidem verâ nil felicius, nil optatius in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis religioni contingere poterat, quàm Sedium Episcopalium, quotquot nunc in eâ reperiuntur, erectio. Vastissimæ, quæ ad Occidentalem plagam longè lateque patent regiones, et in quâ nunc quinque, Cincinnatensis scilicet, Bardensis, Detroitensis, Vincennopolitana, et Sanctiludovicensis diœceses florescunt catholicis institutis; terra deserta, et invia, et inaquosa, et vasta, solitudines in iis quæ ad religionem spectant remansissent, nisi Episcopales Sedes ibi erectæ fuissent. His adducti rationibus, Sanctitatem Vestram supplices precati sumus, ut novas Episcopales Sedes erigere dignetur in statu *Mississippi* et *Tennessee*. Remanent etiam, Beatissime Pater, ad Occidentalem plagam regiones immensæ. Catholici, qui tum ex Europâ in Americam transnavigant, vel ex antiquioribus ipsius Americæ provinciis, novas sedes quærentes, ad occidentales migrant, gressus dirigunt ad territoria, quæ inter su-

periorem Mississippium et Missurium flumen continentur. Tribus tantùm abhinc annis, civitas *Dubuque* nuncupata condi cœpit, et jam frequentes incolas numerat. Hìc etiam novam diœcesim creandam Sanctitati Vestræ humiliter insinuamus. Aliæ etiam formandæ fuissent, si numerus Sacerdotum, quos Sanctitati Vestræ ad Episcopale munus obeundum commendare possumus, major fuisset. Necessitas quidem urget, periculum procul dubio in morâ: nam experientiâ constat, in novis istis regionibus, Sedes Episcopales in ipsis novarum societatum incunabulis erectas, et faciliùs et securiùs Ecclesias ædificare, et religionem modis omnibus promovere posse, tum ob minora ex parte sectariorum obstacula superanda, tum ob exiguas expensas ad comparandos situs, terras, et prædia pro Ecclesiarum, Seminariorum et Collegiorum ædificatione et sustentatione. His omnibus maturè consideratis, futurum speramus ut apud Sanctitatem Vestram præcipitationis censuram consilium nostrum non incurrat; futurum etiam speramus ut Sanctitas Vestra precibus nostris aurem benignam porrigat, atque nobis permittat, inter Sacerdotum nomina quos commendamus tanquàm ad Episcopale munus idoneos, aliquos ex Regularibus, Congregationibusque inserere. Nullatenùs enim honori Cleri nostri sæcularis derogare censemus, cùm fatemur, ob exiguum horum numerum, ex Communitatibus, sive regularibus, sive ecclesiasticis, aliquos commendandos: nullo enim nostro privato commodo adducti hoc humiliter petimus; solo Dei gloriæ et animarum salutis intuitu id à nobis præstandum putamus. Agitur de munere Angelorum humeris formidando; agitur de testimonio à nobis juxta conscientiæ dictamen dando; agi-

tur tandem de Ecclesiæ honore, de ordinis nostri decore, quæ omnia Sanctitati Vestræ quàm maximè cordi esse minimè dubitamus. Si à regularium vel ecclesiasticarum Communitatum membrorum nominibus inter commendandos ad Episcopatum inscribendis nobis erit abstinendum, maximo Religionis detrimento, de Sedibus erigendis nil in posterum agendum erit, et etiam Sedes jam erectæ vacantes relinquendæ.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti, inviolabilem Sedi Apostolicæ ex imo corde profitentur obedientiam, venerationem et obsequium,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Obsequentissimi filii,

† SAMUEL, *Archiepiscopus Baltimorensis.*

† JOANNES, *Episcopus Carolopolitanus.*

† JOSEPH, *Episcopus S. Ludovici.*

† BENEDICTUS, *Episcopus Bostoniensis.*

† FRANCISCUS PATRITIUS, *Episcopus Arathensis, et Coadjutor Philadelphiensis.*

† JOANNES BAPTISTA, *Episcopus Cincinnatensis.*

† GUIDO IGNATIUS, *Bolinensis Episcopus, et Bardensis Episcopi Coadjutor.*

† SIMON, *Episcopus Vincennopolitanus.*

† GULIELMUS, *Episcopus Oriensis, et Coadjutor Carolopolis.*

† ANTONIUS, *Episcopus Neo-Aurelianensis.*

Baltimori, die 22 Aprilis 1837.

INSTRUCTIO

CIRCA DECRETA A SYNODO PROVINCIALI III BALTIMORENSI EDITA.

CIRCA Decreta, quæ edita sunt à Synodo Provinciali Baltimorensi, mense Aprili anno 1837 celebratâ, S. Congregatio nonnulla immutanda esse censuit, et idcircò hæc R. P. D. Archiepiscopo Baltimorensi significanda judicavit.

Itaque quod spectat ad primum Decretum in quo agitur de Ordinibus sacris *titulo Missionis* conferendis, S. Congregatio arbitrata est faciendam esse mentionem *Apostolici Indulti :* secùs enim existimari posset Ordinationem eo titulo tribui posse ab Episcopis ordinariâ auctoritate. Necesse est etiam in memorato Decreto significari, eos qui illo titulo Ordines sacros suscipiunt, jusjurandum facere debere se perpetuò Missioni, cui deputantur, esse inservituros.

In tertio Decreto statuitur Cæremoniale editum, prout Synodus prima Baltimorensis Provincialis anno 1829 celebrata decreverat, in omnibus Fœderatæ Americæ Provinciis esse servandum: de eo autem Cæremoniali, et de Rituali nunc in lucem edendo, S. Congregatio expectat ut R. P. D. Archiepiscopus Baltimorensis utrumque Romam mittat, ut quale sit possit cognoscere.

In Decreto quarto, in quo agitur de bonis Ecclesiasticis vel iniquè usurpatis, vel interversis, ad servandam Episcopis debitam reverentiam, opportunum non est verba adhibere, *Si aliquis Episcopus, etc. hujusmodi bona averterit ;* sed honestius erit loquendi ratione uti, quâ Sacrum Concilium Tridentinum (*Sess.* 22, *Cap.* 11 *De Ref.*) de eâdem materiâ per-

tractans usum est, videlicet: *Si quem Clericorum vel Laicorum, etc.*

Denique quod pertinet ad Decretum sextum, in quo sermo est de causis Ecclesiasticis ad civilia tribunalia non deducendis, S. Congregatio immutandum esse Decretum illud judicavit, habendo præ oculis quæ hìc afferuntur, scilicet, si Clericus contendat apud judices sæculares, et præsertim hæreticos, cum alio Clerico, de re juris *strictè* ecclesiastici, rectè Synodus statuit ita agentes in censuras à jure latas incurrere. In causis tamen mixtis, in quibus videlicet personæ sunt Ecclesiasticæ, sed res, de quibus controversia est, temporales aut familiares, paulò mitiùs à Synodo decerni debet, præsertim in regionibus in quibus civilis potestas apud Catholicos non est, et ubi modus deest, seu vis Ecclesiastica coactiva, ad rem suam defendendam, vel recuperandam, nisi civilia tribunalia adeantur.

Hæc sunt quæ S. Congregatio R. P. D. Archiepiscopo Baltimorensi animadvertenda proponit, ut, antequàm Decreta Synodi Provincialis publicâ luce donentur, in locis quæ significata sunt immutare non omittat; id quod, pro singulari suâ erga S. Congregationem ipsam observantiâ, illum libenter facturum esse certum habet.

Datum Romæ ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

A. Maius, *S. C. P. F. à Secretis.*

Synodi Provincialis Patres præfatas S. Congregationis adnotationes reverenter admiserunt, suggestasque immutationes libentissimè, pro singulari suâ erga S. Congregationem ipsam observantiâ, inviolabilique erga S. Sedem obedientiâ et obsequio, in Decretis fecerunt.

DECRETA CONCILII.

I. CUM ex Apostolico indulto consueverint plerumque Clerici sæculares ordinari, in his Fœderatis Provinciis, titulo missionis, monemus Episcopos ut eos tantùm eo titulo ad sacros ordines evehant, qui idonei sacris missionibus videantur, vel aliàs Religionis profectui, Episcopi judicio, inservituri, emisso priùs jurejurando se perpetuò Missioni, cui deputantur, operam daturos.

II. Ne sacerdotes, cum sacri ordinis dedecore, mendicare, vel egestatem pati cogantur, Episcopos hortamur, ut Fideles moneant muneris quo tenentur, eis præcipuè qui in verbo et doctrinâ laborant, congruam sustentationem suppeditare. Quòd si ægritudine, vel casu aliquo jam non valeant sacris fungi muneribus, ne afflictis addatur afflictio, curent ut ea subsidia quæ necessaria judicaverint, ipsis à Fidelibus quibus inservierint subministrentur. Si autem Congregatio, cui inservierit Sacerdos ægrotus vel aliàs impeditus, fuerit adeò inops ut nequeat hujusmodi subsidia suppeditare, Episcopos hortamur ut, eâ quâ fieri possit ratione, aliorum Sacerdotum et Fidelium charitatem ad iis succurrendum excitent. Cupimus autem maximè ut in singulis diœcesibus, Episcopi, quamprimùm commodè potuerint, Sacerdotum ipsorum adhibito consilio et operâ, certum quemdam modum et stabilem statuant, quo infirmis, vel ætate provectis, vel aliàs impeditis, provideatur. Indignis autem Sacerdotibus, vel qui legitimæ suorum Episcoporum auctoritati repugnaverint, vel qui æs ad fundum hujusmodi generalem conferre recusaverint, hoc decretum prodesse nolumus.

III. Cæremoniale editum juxta Concilii Baltimorensis Provincialis primi decretum XXXI, in omnibus Provinciis Fœderatis servandum volumus, ut rituum uniformitas ubique vigeat, et in omnibus S. Romanæ Ecclesiæ consuetudines æmulemur.*

IV. Ne Fidelium pia voluntas suo fraudetur effectu, et quæ Deo dicaverint in Ecclesiæ utilitatem, ad alios transferantur usus, monemus Episcopos, Sacerdotes et alios omnes, penes quos bona sunt mobilia vel immobilia ad Ecclesiasticos usus data, ut, eâ quæ in singulis Fœderatis Provinciis tutissima videbitur ratione, quamprimùm curent ea, juxta leges civiles, usibus à donatoribus designatis servanda. Quòd si quis Clericorum, vel Laicorum, hujusmodi bona à designatis usibus contra donatorum voluntatem averterit, se in pœnas à Concilio Tridentino latas (*Sess.* XXII, *Cap.* XI, *de Ref.*) incurrere noverit.

V. Placuit ut Rituale edatur Romano conforme, adjectis in appendice quæ ad ædificationem Fidelium conducere visa fuerint, quod Baltimori edatur, auctoritate Illmi et Revmi Archiepiscopi, et ubique per Fœderatas Provincias servetur. Ne autem peculiares ritus cujusque arbitrio inducantur, districtè vetamus ne Sacerdotes à formâ sibi in Rituali præscriptâ, consuetudinis obtentu vel alio quocumque prætextu, discedant.†

VI. Cùm grave Fidelibus oriatur scandalum, et Ecclesiastico ordini dedecus, dum causæ ecclesiasticæ ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos fortè ori-

* Cæremoniarum liber, juxta præscriptum S. C. de Propagandâ Fide, Romam missus, à SS. D. N. Gregorio PP. XVI approbatus fuit.

† Ut Rituale ab Episcopo S. Ludovici in lucem edi possit concessum fuit à SS. D. N. Gregorio Papa XVI.

turas de rebus vel personis ecclesiasticis, amicè componant, vel saltem judicio Episcopi submittant. Quòd si ecclesiastica vel religiosa utriusque sexûs persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriusque sexûs, coram civili tribunali temerè citaverit de re juris strictè ecclesiastici, noverit se in censuras à jure latas incidere.

VII. Cùm ex Sacerdotum vagorum et ignotorum discursu ad eleemosynas à Fidelibus colligendas gravia oriantur incommoda, visum est districtè prohibere ne Sacerdos aliquis, absque Episcopi sui veniâ, scripto concessâ, extra Congregationem sibi commissam eleemosynas petat, vel in aliâ diœcesi absque Ordinarii licentiâ. Quòd si Sacerdos aliquis hanc legem transgredi præsumpserit, hortamur Episcopos ut suspensionis censurâ eum statim innodent. Religiosi autem meminerint sui Superioris licentiam secum afferre.

VIII. Ut omnia juxta ordinem fiant, et solemnes Ecclesiæ ritus integri serventur, monemus Rectores Ecclesiarum ut sedulò invigilent ad abusus eliminandos qui in cantu ecclesiastico in his regionibus invaluerunt. Curent igitur ut sacrosancto Missæ sacrificio et aliis divinis officiis musica, non verò musicæ divina officia inserviant. Noverint, juxta Ecclesiæ ritum, carmina vernaculo idiomate, inter Missarum solemnia, vel Vesperas solemnes, decantare non licere.

IX. Visum est S. Sedi humillimas porrigere preces, ut habitâ ratione gravissimarum quibus subjacent difficultatum Fideles in his Provinciis inter acatholicos degentes, obligatio, quæ in plerisque diœcesibus viget, servandi feriam secundam Paschatis et Pentecostes, tanquam dies festos, auctoritate Apostolicâ

tollatur; ita ut jam non teneantur Missam audire, vel ab operibus servilibus abstinere.

X. Cùm varia sit disciplina diœceseon in Fœderatis Provinciis de jejunio in feriâ quartâ et sextâ servando singulis hebdomadibus Adventûs; supplices litteras ad Sedem Apostolicam dirigendas censuimus, ut à consuetudine illis diebus jejunandi omnes in his Provinciis degentes solvantur, et ab obligatione abstinentiæ feriâ quartâ earum hebdomadum.

XI. Statuimus proximum Concilium Provinciale post triennium, quartâ Dominicâ post Pascha, anno scilicet 1840 habendum, nisi Archiepiscopo citiùs illud convocare visum fuerit.

† Ego Samuel, *Archiepiscopus Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episcopus Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joseph, *Episcopus S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus, *Episcopus Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episcopus Arathensis, et Coadjutor Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episcopus Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

† Ego Guido Ignatius, *Bolinensis Episcopus, et Bardensis Episcopi Coadjutor, definiens subscripsi.*

† Ego Simon, *Episcopus Vincennopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Gulielmus, *Episcopus Oriensis, et Coadjutor Carolopolis, definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Episcopus Neo-Aurelianensis, definiens subscripsi.*

Atque hæc ego infrascriptus testor exemplari RR. DD. Concilii Patrum chirographo munito, in omnibus conformia. In cujus rei fidem, Illmi ac Revmi D. Archiepiscopi sigillum, ipsius jussu, apposui.

Baltimori, anno R. S. 1837, die 27 Aprilis.

E. Damphoux, S. T. D. *Secretarius.*

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

Illme ac Revme Domine,

SYNODI Baltimorensis Decreta, mense Aprili hoc anno celebratæ, S. Congregatio perpendit: laudavit autem summoperè S. Congregatio Amplitudinis tuæ et Episcoporum qui Synodo interfuerunt sapientiam, ac simul commendavit perspicuum illud studium Religionis boni procurandi, et Ecclesiasticæ disciplinæ custodiendæ, quod in decretis ipsis perspicuè apparet.

Nonnulla quidem in decretis illis reperta sunt quæ immutari debere S. Congregatio existimavit, prout in instructione his litteris adjectâ continetur: sed hoc minimè impedire S. Congregatio censuit, quominùs Bmum Dum Nostrum Gregorium PP. XVI precaretur, ut Apostolicâ auctoritate dignaretur Decreta ipsa confirmare. Itaque his litteris adjectum accipies quoque decretum, ex quo intelliges Sanctitatem Suam decreta Synodi confirmasse: certum enim habet immutationes de quibus in instructione agitur, vos libenti animo esse facturos.

Quod spectat ad novarum Sedium Episcopalium erectionem, hoc est, Natchetensis, Dubuquensis, Nashvillensis à Synodo commendatam; eam à SSmo Dño Nostro libenter, probato S. Congregationis consilio, factam esse, Brevia Apostolica quæ ad Amplitudinem tuam mitto demonstrabunt. Eadem Brevia docent Sedem Episcopalem Natchetensem R. D. Thomæ Heyden collatam esse, Sedem Dubuquensem R. D. Mathiæ Loras, Sedem autem Nashvillensem R. P. Riccardo Miles, ordinis Patrum Prædicatorum, esse tributam.* Accipies etiam Brevia Apostolica his litteris annexa, quibus Sacerdos D. Joannes Hughes Coadjutor R. P. D. Joannis Dubois Episcopi Novi Eboraci designatur. De abdicatione autem R. P. D. Rese, Episcopi Detroitensis, accipiendâ, vel de Coadjutore potiùs ei destinando, Sanctitas Sua sententiam differendam judicavit, eò quòd ipse Episcopus Detroitensis Romam quamprimùm venturus sit. Placet verò SSmo Dño Nostro illum audire, antequàm rem definiat. Circa dispensationes super festorum ac jejuniorum quorumdam observatione, quid S. Congregatio et Sanctitas Sua statuerit, in peculiaribus decretis, atque epistolâ quam ad Amplitudinem tuam mitto, luculenter significatur.

Precor Deum, etc.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. FRANSONIUS, *Præf.*
Angelus Maius, *à Secretis.*

* Diœcesis Natchetensis complectitur *Mississippi* Provinciam.
Diœcesis Dubuquensis efformatur ex Occidentali parte Territorii dicti *Wisconsin*, quod ultra flumen *Mississippi*, citra flumen *Missouri*, jacet.
Diœcesis Nashvillensis continet totam *Tennessee* Provinciam.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, CIRCA DECRETORUM SYNODI BALTIMORENSIS III CONFIRMATIONEM.

CUM RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, in Synodo Provinciali mense Aprili anno 1837 celebratâ congregati, SSm̃um Dn̄um Nostrum Gregorium PP. XVI precati fuerint ut decreta ab eâdem Synodo edita Apostolicâ auctoritate suâ dignaretur confirmare, si, instituto de iisdem judicio, confirmatione digna reperta fuissent; S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide, habita die 3 Julii 1837, referente Em̃o ac Rm̃o D. Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio, S. Consilii Præfecto, commendatâ plurimùm Synodi sapientiâ, Religionis amplificandæ studio, atque Ecclesiasticæ disciplinæ custodiendæ proposito, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suæ ut memoratæ Synodi Decretis confirmationem Apostolicam impertiretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSm̃o Dn̄o Nostro relatam ab R. P. D. Angelo Maio, S. Consilii Secretario, in audientiâ diei 9 Julii anni 1837, Sanctitas Sua benignè in omnibus probavit, et decreta de quibus agitur, supremâ auctoritate suâ confirmata in Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus servari jussit.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. FRANSONIUS, *Præf.*

Angelus Maius, *à Secretis.*

PETITUR DISPENSATIO SUPER OBSERVATIONE FERIÆ SECUNDÆ PASCHATIS ET PENTECOSTES.

Beatissime Pater,

GRAVISSIMIS difficultatibus cùm Fideles subjaceant in hisce regionibus quoad dierum festorum observationem, Beatitudinem Vestram implorandam duximus, ut dignetur eos solvere obligatione quæ plerisque in diœcesibus viget, servandi feriam secundam Paschatis et Pentecostes, ita ut jam non teneantur Missam audire, vel ab operibus servilibus abstinere iis diebus. Precamur igitur Beatitudinem Vestram, ut habitâ ratione difficultatum specialium, dignetur Fideles omnes in hisce Provinciis degentes, onere servandi prædictos dies tanquàm festivos solvere.

Baltimori, 22 Aprilis 1837.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, CIRCA DISPENSATIONEM SUPER UTRIUSQUE FESTI OBSERVATIONE.

CUM RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Episcopi diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, in Synodo Provinciali mense Aprili anno 1837 Baltimori celebratâ congregati, SSmo D. N. Gregorio PP. XVI supplici libello Romam misso, retulerint gravem esse difficultatem quominùs Catholici in iis regionibus morantes, feriâ secundâ Paschatis et Pentecostes ab operibus servilibus abstinere, et SS. Missæ sacrificio

interesse possint, atque idcircò Sanctitatem Suam precati fuerint ut super memorati utriusque diei festi observatione dignaretur dispensare; S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide, habita die 3 Julii anno 1837, referente Emo et Rmo D. Jacobo Philippo Fransonio, S. Consilii Præfecto, censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro pro gratiâ juxta petita.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro relatam ab R. P. D. Angelo Maio, S. Consilii Secretario, in audientiâ diei 9 Julii, Sanctitas Sua benignè in omnibus probavit, et petitam dispensationem auctoritate Apostolicâ concessit.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. FRANSONIUS, *Præf.*
Angelus Maius, *à Secretis.*

PETITUR DISPENSATIO SUPER JEJUNIO FERIIS QUARTIS ET SEXTIS ADVENTUS OBTINENTE.

Beatissime Pater,

CUM varia sit Ecclesiarum quibus præsumus disciplina de jejunio singulis feriis quartis et sextis Adventûs servando, visum est Beatitudinem Vestram implorare, ut Apostolicâ auctoritate consuetudinem, quæ in pluribus diœcesibus obtinuit iis diebus jejunandi, haud ampliùs obligare declaret, abstinentiæ etiam feriis quartis obligationem solvat. Ad has porrigendas preces, gravissimis quibus Fideles inter Acatholicos degentes premuntur difficultatibus ad-

ducti sumus, sicut et uniformis disciplinæ studio. Precamur igitur Beatitudinem Vestram ut velit nostris annuere humillimis precibus.

Baltimori, 22 Aprilis 1837.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE DISPENSATIONE SUPER JEJUNIO FERIIS QUARTIS ADVENTUS.

CUM RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Episcopi diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, in Synodo Provinciali mense Aprili anno 1837 celebratâ congregati, SSmo Dño N. Gregorio PP. XVI, supplici libello Romam misso, retulerint magnam esse difficultatem quominùs Catholici in iis regionibus morantes, feriis quartis Adventûs jejunare et à carnibus abstinere possint, atque idcircò Sanctitatem Suam precati fuerint ut super eâ re dispensationem impertiri dignaretur, ratione etiam habitâ quòd non communis sit in diversis illis diœcesibus de jejunii et abstinentiæ obligatione memoratis quartis feriis observatio; S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide, habita die 3 Julii anno 1837, referente Emo et Rmo D. Jacobo Philippo Fransonio, S. Consilii Præfecto, censuit ac decrevit supplicandum SSmo Dño Nostro pro gratiâ juxta petita.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro relatam ab R. P. D. Angelo Maio, S. Consilii Secretario, in audientiâ diei 9 Julii, Sanctitas Sua benignè in omnibus probavit, et petitam dispensationem Apostolicâ autoritate concessit.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. FRANSONIUS, *Præf.*
Angelus Maius, *à Secretis.*

EPISTOLA

S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, CIRCA PETITAM DISPENSATIONEM SUPER JEJUNIO FERIIS SEXTIS ADVENTUS OBTINENTE.

Illmẽ ac Rmẽ Domine,

INTER ea quæ in Synodo Provinciali mense Aprili habitâ, Amplitudo tua et Episcopi diœcesum istarum, à Sede Apostolicâ petenda esse statuerunt, illud quoque, prout tibi notum est, continetur, ut videlicet dispensatio super jejunio feriis sextis Adventûs servando concedatur.

S. Congregatio de eâ petitione agens, vehementer optare se professa est ut jejunii iis diebus obtinentis observatio perseveret: hoc etiam placeret in primis SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI, cui supplex libellus vester de eâ re relatus est.*

Jussit tamen Sanctitas Sua Amplitudini tuæ scribi ut, collatis cum Episcopis Collegis tuis super eo negotio consiliis, omni studio videatis jejunii memoratis diebus observationem retinere. Quòd si verò post maturam negotii considerationem, talia esse rerum adjuncta cognoscatis ut ad vitandum peccati periculum necesse esse censeatis Catholicos ab eâ

* Americæ Fœderatæ Præsules, cùm nihil antiquius habeant, quàm ut suam in S. Congregationem observantiam, singulareque suum in omnibus erga S. Sedem obsequium exhibeant, jejunium in feriis sextis Adventûs retinendum esse decreverunt.

obligatione solvi, tum SSmus Dñus Noster facultatem Amplitudini tuæ tribuit dispensationis super eo jejunio, nomine suo, concedendæ.

Precor Deum interea, etc.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Septembris 1837.

Jacobus Philippus Card. FRANSONIUS, *Præf.*

Angelus Maius, *à Secretis.*

RESCRIPTUM APOSTOLICUM

DE ADHIBENDO IN DIŒCESIBUS FŒDERATÆ AMERICÆ LIBELLO DE CÆREMONIIS AB R. P. D. JOSEPHO ROSATI EPISCOPO S. LUDOVICI, ANGLICO IDIOMATE COMPOSITO.

DATUM fuit in Concilio Provinciali Baltimorensi ut Manuale cæremoniarum, quò in sacris ritibus peragendis à Sacerdotibus et Clero provinciæ, quorum plerique ex diversis dissitisque regionibus adsciti varios patrios usus sequebantur, una eademque juxta S. Romanæ Ecclesiæ morem ratio servari posset, typis vulgaretur. Hujus autem libri edendi cura R. P. Josepho Rosati, Episcopo S. Ludovici, demandata fuit. Igitur Patrum Concilii votis se abundè satis facturum arbitratus est Episcopus S. Ludovici quin novum opus concinnaret: nam id sibi præstandum fore judicavit ut ex latino in anglicum sermonem verteret opusculum jamdiù jussu Benedicti XIII editum, atque à S. Rituum Congregatione approbatum pro minoribus Ecclesiis quæ unius solummodò Sacerdotis et clericorum aliquorum ministerio

utuntur, et ex italico idiomate opus aliud à Sacerdote Josepho Baldeschi, Romæ, Superioribus approbantibus, evulgatum pro majoribus Ecclesiis; et tandem ex Cæremoniali Episcoporum, quæ ad Pontificales ritus pro Ecclesiis Cathedralibus spectant desumeret, atque in anglicam linguam verteret. Quod reipsà fideliter et meliori quo potuit modo præstitit, atque opus quod ex jam probatis fontibus haustum nullâ novâ approbatione indigere putatum est, in lucem prodiit Baltimori sub titulo: *A Manual of the ceremonies used in the Catholic Church.*

De hujus autem libri editione rescriptum fuit à S. Congregatione de Propagandâ Fide ad Baltimorensem Archiepiscopum, ut, priusquàm typis vulgaretur, authographum Romam mitteret approbandum. Arbitrati sunt procul dubio Eminentissimi Patres Cæremoniale illud novum esse opus, et novos vel peculiares ritus continere in Provinciam Baltimorensem subintroducendos. Sed cùm liber nil novi, nihilque à consuetis Romanæ Ecclesiæ ritibus et cæremoniis nedùm contrarium, sed nec alienum quidem præ se ferat, et opusculis jam à Superioribus approbatis et Romæ vulgatis, vel excerptis ex Episcoporum Cæremoniali conflatus fuisset, novâ approbatione indigere minimè videbatur, vulgatusque fuit ne Clerus Americanus necessario ad sacras cæremonias ritè obeundas adminiculo diutiùs privaretur. Exemplar hujus cæremoniarum Manualis typis impressum, unà cum decretis manuscriptis ultimi Concilii Baltimorensis ad S. Congregationem transmissum est, ex quo constare poterit de expositorum veritate; quæ omnia ut à Beatitudine Vestrâ rata habeantur atque approbentur, humillimè petunt Archiepiscopus Baltimorensis, ejusque Suffraganei.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, DIE 17 JANUARII 1841.

SS$^{\text{MUS}}$ Dñus Noster Gregorius Divinâ Providentiâ PP. XVI, referente me infrascripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario, maturè perpensis superiùs narratis, et habitâ simul Episcopi supplicantis doctrinæ ac meritorum ratione, expositum ab eodem Episcopo factum probavit, et libellum de cæremoniis, sacrisque ritibus ab ipso digestum, atque anglicano idiomate scriptum, in Ecclesiasticorum usum adhiberi liberè posse declaravit.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis, die et anno quibus suprà.

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis*.

RESCRIPTUM APOSTOLICUM

DE ADHIBENDO IN DIŒCESIBUS FŒDERATARUM AMERICÆ SEPTENTRIONALIS PROVINCIARUM COMPENDIO RITUALIS ROMANI, AB R. P. D. JOSEPHO ROSATI EPISCOPO S. LUDOVICI COMPOSITO.

CUM Ritualis Romani exemplaria rara sint et magno pretio emantur in Statibus Unitis Americæ, statutum fuit à Conciliis Provincialibus Baltimorensibus ut denuò typis mandaretur in aliquâ ex eisdem Statibus civitate; et ad minuendas impensas, quæ maximæ sunt in illis regionibus, omitterentur quæ in sacri ministerii exercitio ibidem nunquam occurrunt, ideoque minimè necessaria viden-

tur. Ad calcem autem, et velut in Appendice, ad majorem Missionariorum, præsertim eorum qui vel in anglico sermone, vel in ministerio ipso parùm sunt exercitati, utilitatem, exhortationes quædam ante et post administrationem Sacramentorum faciendæ ut adderentur optaverunt Patres Concilii; et ne quid subreperet in opus tanti momenti, quod S. Romanæ Ecclesiæ in Sacramentorum administratione et sacris ritibus probatissimæ disciplinæ ad unguem conforme non esset, exemplar Ritualis Romæ editi ut authographum adhibendum esse decreverunt. Cura autem hujus editionis demandata fuit Episcopo S. Ludovici, qui Beatitudinem Vestram humiliter precatur, ut id à se præstari possit, præfixo titulo: *Compendium Ritualis Romani ad usum Diœcesum Provinciæ Baltimorensis.*

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, DIE 21 JANUARII 1841.

SSmus D. N. Gregorius Divinâ Providentiâ PP. XVI, referente me infrascripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario, re totâ sapientissimè perpensâ, et ratione habitâ tum consilii à Synodo Baltimorensi Provinciali suscepti, tum R. P. D. Josephi Rosati Episcopi S. Ludovici doctrinæ ac meritorum, cui res absolvenda commissa est, memoratum in supplici libello *Compendium Ritualis Romani ad usum Diœcesum Provinciæ Baltimorensis*, ab eodem Episcopo fieri, et per diœceses Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum adhiberi liberè posse Apostolicâ auctoritate benignè concessit.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis, die et anno quibus suprà.

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE IV,

HABITUM

ANNO 1840.

CONCILIUM PROVINCIALE IV,

BALTIMORI HABITUM MENSE MAIO,

ANNO 1840.

ACTA CONCILII.

DIE 14 Maii, Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus cùm jus canonicum eam ad rem pertinens omnibus Revmis Patribus qui aderant, nempe Revmis DD. Flaget, Rosati, Purcell, Blanc, Loras et De La Hailandiere, clarè retulerit, sensum eorum exquisivit utrùm necne expediret invitare Revmum D. De Forbin Janson, Episcopum Nanceiensem, Lotharingiæ Primatem, ad consedendum in Concilio Provinciali proximè habendo, cum voce deliberativâ, atque etiam cum voce decisivâ. Placuit Patribus utrique ex quæsitis affirmativè respondere.

CŒTUS PRÆPARATORIUS.

Die 16 Maii, horâ quintâ P. M. habitus est cœtus præparatorius in ædibus Archiepiscopi, præsentibus Illmo ac Revmo D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; Illmis ac Revmis DD. Benedicto Joseph Flaget, Episcopo Bardensi; Joseph

Rosati, Episcopo S. Ludovici; Carolo de Comitibus De Forbin Janson, Episcopo Nanceiensi ac Tullensi, et Lotharingiæ Primate, qui in itinere versans invitatus est; Francisco Patritio Kenrick, Episcopo Arathensi, Coadjutore Episcopi Philadelphiensis; Joanne Baptista Purcell, Episcopo Cincinnatensi; Antonio Blanc, Episcopo Neo-Aureliæ; Cœlestino Renato Laurentio Guynemer De la Hailandiere, Episcopo Vincennopolitano.

Plura disceptata sunt et accommodata pro recto ordine Concilii.

SESSIO PRIMA.

Dominica quartâ post Pascha, die 17 Maii, anno R. S. 1840, incœptum est Concilium Baltimorense Provinciale quartum in Ecclesiâ Metropolitanâ, horâ undecimâ A. M.

Post solemnes supplicationes ab ædibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Illmo et Revmo D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; et post concionem ab Illmo ac Revmo D. Joanne England, Episcopo Carolopolitano, apertum est Concilium juxta formam in Pontificali præscriptam, emissâ fidei professione ab Illmis ac Revmis DD. Carolo A. M. J. de Forbin Janson, Episcopo Nanceiensi ac Tullensi, Lotharingiæ Primate; Michaele Portier, Episcopo Mobiliensi; Mathia Loras, Episcopo Dubuquensi; Riccardo Pio Miles, Episcopo Nashvillensi, et Cœlestino Renato Laurentio Guynemer De la Hailandiere, Episcopo Vincennopolitano.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Illmus ac Revmus D. Benedictus Joseph Flaget, Episcopus Bardensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes England, Episcopus Carolopolitanus;

Illmus ac Revmus D. Joseph Rosati, Episcopus S. Ludovici;

Illmus ac Revmus D. Carolus Augustus Maria Joseph de Forbin Janson, Episcopus Nanceiensis ac Tullensis, Lotharingiæ Primas;

Illmus ac Revmus D. Benedictus Joseph Fenwick, Episcopus Bostoniensis;

Illmus ac Revmus D. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis;

Illmus ac Revmus D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Arathensis, Coadjutor Episcopi Philadelphiensis, cum plenâ potestate in Diœcesim Philadelphiensem;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis;

Illmus ac Revmus D. Antonius Blanc, Episcopus Neo-Aureliæ;

Illmus ac Revmus D. Mathias Loras, Episcopus Dubuquensis;

Illmus ac Revmus D. Riccardus Pius Miles, Episcopus Nashvillensis;

Illmus ac Revmus D. Cœlestinus Renatus Laurentius Guynemer De la Hailandiere, Episcopus Vincennopolitanus.

Placuit Patribus, proponente Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo, designare Officiales Concilii Provincialis:

Illmos ac Revmos DD. Joseph Rosati et Benedictum Joseph Fenwick, Promotores;

Reverendos DD. Joannem Baptistam Ludovicum Eduardum Damphoux, S. T. D. et Carolum Ignatium Aloysium White, Secretarios;

Rev. D. Franciscum Lhomme, Magistrum Cæremoniarum; ejusque adjutorem, Magistrum Jacobum Benedictum Donelan;

Rev. DD. Joannem Blasium Randanne et Petrum Fredet, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 18 Maii, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus. Aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati cum Secretariis.

Proponente Episcopo Bostoniensi, Patres censuerunt non expedire ut Episcopi ordinariè assumantur ex Sacerdotibus qui jure civitatis in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis non gaudent.

De erigendâ Sede novâ Episcopali in civitate Pittsburgi actum est, et Patribus visum est oportere ut erigatur juxta decretum prioris Concilii.

Rogante Episcopo Arathensi, permissum est referri inter Acta Concilii ipsum cum Episcopis Neo-Aurelianensi et Dubuquensi dissentire ab Episcoporum designatione in Promotores, eò quòd sit contra morem Conciliorum Provincialium.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 18 Maii, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illm̃us ac Revm̃us D. Archiepiscopus. Aderant Illm̃i ac Revm̃i DD. Episcopi suprà memorati, cum Secretariis. Aderant insuper admodùm Rev. DD. Carolus P. Montgomery, Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Fœderatis Americæ Statibus; et Josephus Prost, Superior Congregationis SS. Redemptoris;

Admodùm Rev. Ludovicus R. Deluol, D. D. Superior Seminarii S. Mariæ Baltimorensis;
Rev. D. Joannes J. Chanche, D. D. Præses Collegii S. Mariæ Baltimorensis;
Rev. D. Nicolaus Kerney;
} Theologi Metropolitanæ Ecclesiæ.

Rev. D. Petrus Chazelle, S. J. ab Episcopo Bardensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Joannes Power, et Rev. D. Joannes Barry, ab Episcopo Carolopolitano adducti Theologi;

Rev. D. Joseph Lutz, ab Episcopo S. Ludovici adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Vincentius Badin, ab Episcopo Nanceiensi designatus Theologus;

Rev. D. Henricus B. Coskery, ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus;

Rev. D. Michael O'Connor, ab Episcopo Arathensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes McElroy, S. J. ab Episcopo Cincinnatensi designatus Theologus;

Rev. D. Joannes Bouillier, Congreg. Missionis, ab Episcopo Neo-Aureliæ adductus Theologus;

Rev. D. Gilbertus Raymond, ab Episcopo Dubuquensi designatus Theologus;

Rev. D. Benedictus Bayer, ab Episcopo Nashvillensi designatus Theologus;

Rev. D. Petrus P. Lefevere, ab Episcopo Vincennopolitano adductus Theologus.

Durante Congregatione, lectis primùm à Promotoribus quæ privatæ theologorum Congregationes retulerant de quæstionibus ipsorum discussioni traditis, theologorum de his sententiæ ab Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo rogatæ sunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 19 Maii, habita est secunda Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Illmus ac Revmus Episcopus Carolopolitanus recitavit precum libellum, à quibusdam viris Catholicis rei navali addictis porrectum Patribus: ut eorum conscientiæ tranquillitati consulatur, jussum est ut libellus servetur, deinceps considerandus.

Recitatis litteris à quibusdam civibus oppidi *Springfield*, in Statu *Illinois*, quibus precabantur ut erigeretur Sedes Episcopalis in eo oppido; visum est Patribus non adhuc expedire, cùm Episcopi sustentationi, et Seminarii et Cathedralis erectioni satis consuli nequeat. Jusserunt Patres ut Secretarii ita responderent.

Cùm S. Sedes ad Concilium remisisset petitionem Episcopi Bardensis de transferendâ Sede Bardensi ad Ludovicopolim, visum quidem est Patribus expedire ut Episcopus Sedem habeat Ludovicopoli; sed de translatione Sedis Bardensis et de tempore novæ erigendæ judicium S. Sedi relinquendum, cùm quædam priùs necessariò disponenda sint ut bonorum

ecclesiasticorum securitati, et Episcopi convenienti sustentationi consulatur.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 19 Maii, habita est secunda Congregatio publica eodem loco et horâ quibus prima.

Discussio quæstionum in privatis theologorum Congregationibus expensarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 20 Maii, habita est tertia Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Patres statuerunt quæ in Decretis 1, 2, 3, 4 et 5 continentur. Occasione decreti primi, Patribus adnotandum placuit Sacerdotes veste talari indutos, Episcopos insuper rochetto, epomide ac cruce pectorali ornatos, mixtis connubiis adstare licitum esse.

Statutum à Patribus est quatuor Concilia Provinciali Baltimorensia typis mandanda esse, statim atque S. Sedes quarti decreta probaverit, et mille exemplaria cum alphabetico indice edenda.

Deinde de emendationibus in decretis quibusdam concilii Baltimorensis Provincialis tertii, juxta litteras Româ missas, actum est.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Die Maii 20, horâ quartâ P. M. habita est tertia Congregatio publica, eodem loco et modo quibus heri.

Præter Rev. DD. Theologos suprà commemoratos, adfuit Rev. D. Patritius Moriarty, S. T. D.

Superior Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Fœderatis Americæ Provinciis.

SESSIO SECUNDA.

Die Maii 21, horâ nonâ, post Missam solemnem Defunctorum ab Illmo ac Revmo D. Episcopo Vincennopolitano celebratam, et concionem ab Illmo ac Revmo D. Episcopo Cincinnatensi habitam, Sessio secunda in Ecclesiâ Metropolitanâ, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, peracta est. Lectæ fuerunt solemniter SS. D. N. Gregorii PP. XVI litteræ Apostolicæ de Nigritarum commercio non exercendo.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 22, horâ nonâ A. M. habita est quarta Congregatio privata eodem loco quo prima.

Cùm ex S. Sedis indulgentiâ obligatio servandi de præcepto festum SS. Petri et Pauli relaxata sit in hisce Fœderatis Provinciis, relictâ in nonnullis Diœcesibus obligatione jejunandi in vigiliâ ejusdem festi, quæ tamen in aliis Diœcesibus non viget; censuerunt Patres supplicandum S. Sedi ut jejunii obligatio in prædictâ vigiliâ tollatur, ut eadem sit disciplina, eâ de re, per omnes Fœderatas Provincias. Censuerunt pariter supplicandum esse S. Sedi ut dispensatio ab abstinentiâ sabbato ad decennium concessa Fidelibus hujus Provinciæ, perpetua fiat.

Deinde statuta fuerunt quæ in Decretis 6, 7, 8 et 9 leguntur.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die Maii 22, horâ quartâ P. M. habita est Congregatio quarta publica, eodem loco et modo quibus tertia.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 23, horâ nonâ A. M. habita est quinta Congregatio privata eodem loco quo prima.

Censuerunt Patres Rituale, quod paratum est in hujus Provinciæ usum, Romam deferendum per Episcopum S. Ludovici, ut prælo demandetur postquàm fuerit à S. Sede probatum.

Statutum est navalibus ducibus, qui Patribus supplicarunt pro formulâ precum in navium usus, respondendum per Secretarios Concilium ab Illmo ac Revmo Archiepiscopo rogasse ut cum præfatis ducibus collatis consiliis hac de re statuat.

Statuerunt Patres supplicandum SS. Pontificem pro concessione quorumdam Officiorum in Fœderatis Americæ Provinciis peragendorum.

Primo Concilio Baltimorensi inhærentes censuerunt Patres, in Ritualis editione, interrogationum et precum quarumdam, Archiepiscopi judicio, versionem linguâ vernaculâ, ad paginæ calcem inserendam, ut adhiberi possit quandocumque videatur expedire in Fidelium ædificationem, latinâ formulâ precum nunquam omissâ.

Rogarunt Patres Illmum Archiepiscopum ut editionem minorem Ritualis typis edi curaret in commodum missionariorum.

Rogarunt Patres ut Episcopus Arathensis litteras pararet Romam, Concilii nomine, mittendas de gratiis à Sede Apostolicâ impetrandis.

Deinde proponente Episcopo Carolopolitano, Illmus Archiepiscopus recedere rogatus est; et ipso absente, statutum est quæ sequuntur per Revmum D. Flaget legenda nomine omnium Præsulum: "Episcopi hujus Concilii Provincialis Venerando Archiepiscopo gaudenter faciunt notam existimationem et amicitiam quibus erga eum semper afficiuntur, quantique faciant modum omnibus probatum quo Synodi congregationibus præfuit, suumque gratum sensum munificæ ejus blandæque hospitalitatis."

Visum est Patribus statutum edere de vitâ et honestate clericorum, ex variis Synodi Tridentinæ decretis excerptum, quod decimi hujus Concilii Baltimorensis decreti locum habet.

Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1843, quartâ post Pascha Dominicâ.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quintâ post Pascha, die 24 Maii, horâ undecimâ A. M. convenerunt in Ecclesiâ Metropolitanâ Illmus ac Revmus Archiepiscopus unà cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus et Theologis. Missam celebravit Illmus ac Revmus Episcopus Bardensis; concionem habuit Illmus ac Revmus Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est Sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ritè peracta et absoluta.

Ed. Damphoux S. T. D. *Secr.*
Carolus Ignatius White, *Secr.*

Completi post dies octo Concilii Acta et Decreta, Romam ad Summum Pontificem Illmi ac Revmi ejusdem Concilii Patres pro confirmatione miserunt, in hunc modum scribentes:

Sanctissime Pater,

Quæ in Concilio quarto Baltimorensi, quod per hebdomadam elapsam celebravimus, censuimus vel egimus, ad Sanctitatem Vestram remittenda duximus, supremo probanda vel emendanda judicio. Ex quo alterâ vice conveneramus, defunctum deflevimus fratrem nobis charissimum, Simonem Gabriel. Bruté, Episcopum Vincennopolitanum, qui tanto effulsit virtutum splendore, ut de beatitudine et ejus gloriâ certam omnibus reliquerit fiduciam. Utinam detur, Sanctitate Vestrâ aspirante, ejus premere vestigia, et præmia assequi.

Baltimori, 24 Maii 1840.

DECRETA CONCILII.

I. SACERDOTIBUS omnibus hujus Provinciæ in memoriam revocamus, antiquâ Ecclesiæ lege quam SS. Pontifices non desierunt inculcare, vetari matrimonia catholicorum cum acatholicis, cùm sanctitas Sacramenti postulet ut uterque fide et aliis animi dispositionibus gratiæ sacramenti suscipiendæ idoneus sit, et plura graviaque incommoda et mala ex hujusmodi connubiis sæpè sequantur, nempè discordia domestica, et catholicæ partis et prolis perversio.

Quòd si rerum adjuncta aliquandò suadeant ex auctoritate Apostolicâ ea esse permittenda, imprimis curandum erit ut conscientiæ securitati et libero religionis exercitio à Catholicâ parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexûs in fide catholicâ educationi, solemni coram Deo promissione iis de rebus emissâ; secùs nullatenùs licebit Sacerdoti iis connubiis adstare. Meminerint insuper Sacerdotes pluribus SS. Pontificum decretis vetari, ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum fœdera hujusmodi ineuntur, quæ neque intra Ecclesiam ineunda sunt.*

II. Nihil innovantes in his quæ in primo canone Concilii Provincialis 1 Baltimorensis de potestate Episcopi in pastoribus designandis et amovendis, necnon firmare volentes quæ in canone quarto ejusdem Synodi declarata fuere de unico pastore in singulis Congregationibus designando, declaramus pastori soli ita designato competere administrationem Ecclesiæ seu Congregationis, atque aliis Sacerdotibus illi in ministerii adjutorium adjunctis, non licere aliquid aggredi præter pastoris voluntatem.

III. Ne turpis lucri cupido sacerdotalem inficiat ordinem, vel aliqua oriatur inter Sacerdotes simul commorantes dissensio, propter eleemosynas quæ Fideles occasione sacramentorum baptismi vel matrimonii administrationis spontè conferunt, monemus Episcopos ut in primâ suâ synodo Diœcesanâ, vel aliàs, prout illis in Domino visum fuerit, consilio Sacerdotum etiam adhibito, justam statuant rationem quâ inter sacerdotes simul ita commorantes distri-

* Ex epistolâ S. Congregationis de Propagandâ Fide ad Patres Concilii Provincialis VI, patet eam esse S. Sedis constantem et firmam voluntatem, ut Matrimonia mixta nullo adhibito religioso ritu celebrentur.

buantur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglectâ consideratione.

IV. Dominici festorumque dierum sanctificationem iterùm atque iterùm populis suæ curæ commissis pastores commendare modis omnibus curabunt, verbi Dei prædicatione, catechesibus aliisque pietatis christianæ publicis exercitiis. Moneant frequenter oves suas de vitandis cauponis, et caupones à sacramentis arceant qui potantium excessus fovent, præsertim diebus Dominicis.

V. Cùm immania scandala ex nimiâ potatione oriantur, hortamur pastores, et per viscera Jesu Christi obsecramus, ut omne studium in ebrietatis vitio eliminando ponant. Eum in finem, laudandum censemus eorum Fidelium zelum, qui ab omni liquore ardenti se abstinent ad excessuum periculum tutiùs declinandum. Qui autem spontè societatem inter se ineunt ut mutuis virtutum exemplis sese adjuvent ac roborent, imprimis adhibere debent subsidia illa quæ Christus Dominus in Ecclesiâ reliquit, quibus vitia humana emendentur et infirmitas sustentetur; atque oratione, sacramentorum frequenti susceptione, aliisque pietatis exercitiis, auxilium supernum sibi comparare, nec sibi nec suis propositis, sed Deo sine quo nihil prodest humanus conatus, fidere.

VI. Cùm constet publicæ educationis rationem plerisque in his Provinciis ita iniri, ut hæresibus inserviat, puerorum catholicorum mentibus sensim sine sensu falsis sectarum principiis imbutis, monemus pastores ut omni quo valent studio catholicorum puerorum christianæ et catholicæ educationi prospiciant, et diligenter invigilent ne versione protestanticâ bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideò invigilandum erit, ne in publicas scho-

las libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderatè hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium implorato auxilio.

VII. Propter gravissimas rationes vetuerunt SS. Pontifices ne Fideles secretas Societates quovis nomine nuncupatas ineant, jurejurando sese adstringentes ad arcana servanda. Nam fœdera hujusmodi clanculùm inita, mali suspicionem et periculum præ se ferunt, et jusjurandum temerè adhibetur. Idcircò monemus Sacerdotes omnes neminem posse absolutione sacramentali donari, nisi ab hujusmodi Societatibus prorsùs recedat. Hortamur autem, et in Domino obsecramus Fideles omnes ut occulta illa fœdera omninò declinent, mente revolventes se Christi membra esse, et Ecclesiæ quæ mater nostra est mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare, juxta sanctissima et divina illa documenta quæ Christus Dominus tradidit.

VIII. Præsules omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulò prospiciant omni quâ valent ratione, ideoque legum seu auctoritatis civilis præsidium quærant, ubicumque haberi possit, salvo tamen libero Episcoporum jure. Quòd si nequeant illud obtinere, saltem testamento juxta legis dispositiones scitè facto, cujus duplicatum habeant, caveant ne bona sibi in usus ecclesiasticos commissa à suis finibus avertantur. Habeant etiam bonorum ecclesiasticorum inventarium, et instrumenta omnia et titulos ritè disposita. Et si contigerit eos extra diœcesim versari, litteras procurationis apud quemdam virum probatum relinquant, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare. Monemus insuper Episcopos

ne sinant Sacerdotes penes se retinere suo nomine quæ à Fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt, eorumque fidei commissa.

IX. Commendamus Episcopis libros habere in quibus accuratè recenseantur ordinationes, clericorum ex aliis diœcesibus in suas cooptationes, designationes pastorum, tituli ecclesiarum, aliaque omnia quæ ad statum ecclesiasticum respiciunt.

X. Admonet Synodus clericos omnes in sortem Domini vocatos, ut semper memores sint nihil esse quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquàm in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic studeant vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Abstineant à luxu et pompâ vestium, à mundanarum personarum societate, à comessationibus, potationibus, illicitisque lusibus et venationibus, ac demùm quibuscumque omnibus clericali statu indignis, necnon sæcularibus negotiis. Cum mulieribus nullam consuetudinem habeant, neque sibi famulas accipiant vel retineant, nisi talis ætatis et probatæ virtutis, de quibus nulla possit haberi suspicio. Fiant igitur forma gregis ex animo; sint exemplum Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; sint sobrii, prudentes, ornati, pudici, modesti; conversationem suam inter gentes habentes bonam, ut benè facientes obmutescere faciant impru-

dentium hominum ignorantiam, et obstruatur os loquentium iniqua. Sic autem pastores vigilent super gregem sibi commissum, non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; sic illum pascant et regant sedulâ in suis Ecclesiis residentiâ, verbi divini prædicatione, puerorum et ignorantium instructione, sacramentorum administratione, piâ sacrificii oblatione, paternâ infirmorum et pauperum curâ, omniumque bonorum exemplo, ut cùm apparuerit Princeps pastorum, ab ipso percipiant immarcescibilem gloriæ coronam.

XI. Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1843, quartâ post Pascha Dominicâ.

† Ego Samuel, *Archiepisc. Balt. definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus Josephus, *Bard. Ep. definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Carolopol. definiens subscripsi.*

† Ego Joseph, *Episc. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Carolus Maria Joseph Augustus, *Episc. Nanceiensis et Tullensis, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episc. Arath. definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Cincinnat. definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Episc. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego Mathias, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Pius, *Episc. Nashvill. definiens subscripsi.*

† Ego Cœlestinus Renatus Laurentius, *Episc. Vincennopolitanus, definiens subscripsi.*

Concordat cum originali in Archivis nostris deposito.

† Samuel, *Archiep. Balt.*

Unà cum illis Decretis, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Episcopi suprà memorati, sequentem Synodalem epistolam ad Sanctitatem Suam miserunt.

BEATISSIMO PATRI NOSTRO GREGORIO

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XVI,

Archiepiscopus Baltimorensis, Episcopi ejusdem Provinciæ, atque eorum confratres in Concilio quarto Baltimorensi habito mense Maio 1840.

INTER plurima quæ diebus nostris Ecclesiam perturbant, et paterno cordi Sanctitatis Tuæ molestiam afferunt, non leviora habenda sunt quæ derivantur ex persecutionibus quibus in variis Europæ ditionibus ab ambitione vel à pravitate religio opprimitur. O portentum maximè dolendum! In illis ipsis regionibus, ubi olim reges inclyti, religiosi atque potentes, appellationibus Catholicissimi vel Fidelissimi gloriabantur, hodiè inter perditos mores procerum, virtute pariter atque bonorum æstimatione

carentium, fides spreta, disciplina eversa, S. Sedes despecta, altaria spoliata, monasteria vacua sanguine sanctorum respersa, orbi terrarum atque summo cœlo triste testimonium perhibetur turpiter dejectas esse gentes, antiqui honoris immemores, ac priscæ pietatis oblitas. Eheu! lacrymas ac preces potiùs quàm indignationem clamant.

Aliæ quoque Potestates sibi nomen Catholicum vindicantes, specie politici juris, sanctuarii regendi partem sibi arrogant, Cæsarisque auctoritate haud contentæ, quæ Dei sunt non solùm ambiunt, sed invadunt. Ideò etiam Beatitudini Tuæ acerbitas pessima oborta.

Talia inter domesticos fidei contemplantes, mirari non debemus si inter inimicos Ecclesiæ similia inveniantur. Regis Borussorum dominatio nec justitiæ memor, nec jure gentium restricta, nec æstimans fidem publicam S. Sedi datam, nec regis ipsius verbum solemniter oppigneratum, ad terras Catholicorum obtinendas, nobis occasio doloris sed non stuporis fuit.

Post strages Poloniæ, post mala in istis regionibus religioni illata, vox tua à solio principis Apostolorum lugubria referens, perfidiam aliquorum Episcoporum Ruthenæ gentis annuntians, nobis non inopinantibus ad aures pervenit; jam enim fama nuntiabat Imperatorem illarum regionum curasse ut omnia ad hoc ante parata essent. Sed quanquàm perfida plurimorum defectio ibi ploranda sit, non tota gens virtutis oblita: sanguis martyrum inter Ruthenos Polonosque rubescit, Confessoresque gloriosi fidelitatem patrum antiquorum æmulantur.

Extra fines Europæ autem, inter barbaros Sinenses persecutio quoque viget; atque in aliquibus Oceani

Pacifici insulis, instigantibus pseudoministris ex hac ipsâ Fœderatione egressis, incultus regulus, eadem jura politica prætexens, Catholicos vexabat, donec Galliarum Rex ad cives suos immunes servandos hominem cohibuit. Quantùm differt tum à subdolâ illarum gentium se cultas gloriantium perfidiâ, tum ab agendi ratione barbarorum eamdem malitiam, sed non eamdem calliditatem exhibente, generosa liberalitas Imperatoris Turcarum! Dum illi fidei struunt insidias, vel apertè conantur subvertere, hic qui avitus habebatur Christiani nominis hostis, vincula Fidelium disrumpens, eos in plenissimam libertatem vindicavit.

Ingentibus fluctibus ab antiquo orbe divulsi, procul hæc omnia contemplantes, animoque volventes quantoperè Sanctitas Tua, quam sollicitudo omnium Ecclesiarum premit, zelo domûs Domini devorata sit, atque tristitiâ oppressa; nos quoque Capiti nostro compatientes afflicti fuimus, obnixisque precibus à Domino rogavimus Te, columen decusque nostrum, gratiâ supernâ confortari, ut tota Dei domus incolumis servetur. Cordibus ergo nostris solamen pergratum, ac in propriis angustiis sustentaculum optimum fuere Sanctitatis Tuæ serena constantia, invicta mansuetudo, fides immota, ac veræ humilitati innixa insuperabilis fortitudo. Dextram Salvatoris agnovimus, Petrum super undas instabiles hujus sæculi sustinentem, et ad littus ducentem: recordati sumus verbi ejus, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*;* atque iterùm, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi†.* Cœlum et terra præteribunt, verba autem Christi

* Matth. xvi, 18. † Ibid. xxviii, 20.

Domini non præteribunt: descendant itaque imbres, perflent venti, mugiant tonitrua, illuviesque absumant terrena; domus quam sapiens divina manus super hanc petram erexit, inter feri maris fluctus firma semper manebit.

Sic per octodecim sæcula, ex quo piscator Galilæus, ut princeps Apostolorum fieret, claves à manu Jesu recepit ad populum Christianum regendum, *fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania: astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus**. Qui habitat in Cœlis irridebat eos, et Dominus subsannabat eos. Ubinam nunc isti potentes? Quasi *gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*†. Nos, nos ipsi vidimus illum cui datum fuit ad tempus gloriari in malitiâ, qui inter diademata tanquàm inter crepundia ludebat; ipsum vidimus potentem in iniquitate S. Sedem aggredi, manus sacrilegas patrimonio Petri injicere, prædecessorem tuum beatæ memoriæ in carcerem turpiter detrudere; illum vidimus ex solio manu Dei excussum, dedecorè fugientem, captum, scopulo in mediis undis toto orbe spectante alligatum, lentisque suspiriis animam per annos miserè agentem periisse. Ubinam, Beatissime Pater, ubinam inveniendi hi qui gladio suffulti Ecclesiam oppressere? Ex ruinâ tumbæ Neronis videre licet mausoleum Vaticani. En scopulum Sanctæ Helenæ, dum Christiano orbe plaudente Roma triumphans gremio suo excipit reducem Pium. Per hæc sæcula, quot et quanti tyranni

* Ps. ii, 1 et 2. † Baruch, iii, 26, 27 et 28.

qui se dominatores familiæ Dominicæ esse cupiebant, indignè perierunt! Hodiè quot millia millium cathedram Petri sustentant!

Inter illos qui nostris diebus antiquorum martyrum fortitudinem æmulantes, pro fide atque disciplinâ sese tyrannis objecerunt, de Ecclesiâ optimè merentes Sanctitatis Tuæ præconia obtinuerunt, atque Fidelium cordibus gaudium attulerunt, Venerabiles fratres nostros Clementem Augustum ex Baronibus liberis de Droste ex Vischering, Coloniensem Archiepiscopum, atque Martinum a Dunin, Posnaniensem atque Gnesnensem Archiepiscopum, admiratione contemplati sumus. Perdifficile nobis est dicere utrùm cum his Christi athletis de injuriis illatis condolere debeamus, an gratulari potiùs quòd digni habiti sint pro nomine Jesu contumeliam pati. Clerus noster, populusque fidelis zelum atque devotionem illustrium Præsulum mirantes, suum erga eos affectum exprimere ardent; nosque eorum studia approbantes, ac amore pro fratribus arrepti, corda nostra illis exponere optavimus. Dum pro eis indesinenter Patrem misericordiarum supplicamus, epistolas mittere decrevimus quarum exemplaria Beatitudini Tuæ subjici cupimus, ut Patri compertum sit filios suos, quanquàm fluctibus, civili regimine, aliisque divisos, fide atque charitate conjunctissimos esse, ac pro Ecclesiæ Capitisque ejus juribus et honoribus conservandis, æmulatione sanctâ flagrare.

Intereà omnia fausta Sanctitati Tuæ à bonorum omnium Datore ex corde precantes, Apostolicam benedictionem nobis nostrisque gregibus imploramus.

EPISTOLA

PATRUM SYNODI AD COLONIENSEM, ET POSNANIENSEM AC GNESNENSEM ARCHIEPISCOPOS.

Venerabilibus in Christo Fratribus, inclytisque Fidei Confessoribus CLEMENTI AUGUSTO *ex liberis Baronibus* DE DROSTE EX VISCHERING, *Coloniensi, et* MARTINO A DUNIN, *Posnaniensi et Gnesnensi Archiepiscopis; Archiepiscopus Baltimorensis provinciæ Metropolitanus, et Suffraganei, Episcopique omnes Baltimori in Concilio congregati.*

Salutem, gratiam, laudem, honorem et gloriam.

UNIUS ejusdemque mystici corporis membra, uno eodemque spiritu acti, unius ejusdemque capitis vivifico influxu copulati, non potuimus, quamvis longo terræ marisque spatio separati, quæcumque passi estis, inclyti Confessores, non sentire. Charitate enim Christi nos urgente, flendum erat cum flentibus, gaudendum cum gaudentibus. Vestrorum præclarè gestorum fama ad nos usque pervenit. Audivimus potentium in vos et in Ecclesiam inimica consilia, calumnias, minas, persecutiones, exilia, carceres; audivimus Episcopalis animi robur invictum, constantiam, fidem; audivimus dignam Apostolorum successoribus mitissimam patientiam, prudentissimam sapientiam: audivimus, et mirati sumus. Mirum profectò nostris hisce temporibus, quæ tantis laudibus extolluntur ob excultos mores, politiores artes, altiores scientias, liberalioresque disciplinas, mirandum in regionibus evangelii luce illustratis, mirandum

sub principibus religionem Christianam profitentibus, persecutorum sæcula, insidias et sævitiem revixisse. Sed Deo, qui se Ecclesiæ suæ usque ad consummationem sæculi affuturum promisit, benigniter sapienterque providente, Constantiis, Valentibus et Julianis nostrorum temporum novos Athanasios et Basilios opposuit, qui pro muro essent Ecclesiæ suæ, et avitam fidem patrumque instituta, jura et leges tuerentur.

Flevimus quidem super contritione filiæ populi nostri; flevimus super dispersos lapides sanctuarii; lacrymas fudimus super oves pastoribus orbatas: flevimus, sed et gaudio superabundavimus in tribulatione nostrâ, gavisi sumus de Christi confessorum perseverantiâ, de martyrum constantiâ, et de fidei athletarum victoriâ. Eia! Confessores, Martyres, Athletæ Christi, Eia! qui pro vobis, qui vobiscum legitimè certavit, ipse vos coronabit.

Ne dedignemini testimonium amoris, admirationis et reverentiæ, quod ex corde promunt vestrûm amantissimi in Christo fratres in Provinciali Concilio congregati.

Baltimori, die 20 Maii 1840.

EPISTOLA

PATRUM SYNODI AD PRÆSIDEM ET MODERATORES LEOPOLDINÆ INSTITUTIONIS.

Excellentissimo Principi VINCENTIO ODOARDO MILDE, *Vindobonensi Archiepiscopo, Leopoldinæ Institutionis dignissimo Præsidi, ceterisque sapientissimis Moderatoribus, atque universis per Austriacas ditiones sociis munificentissimis; Provinciæ Baltimorensis in Americâ Septentrionali Metropolitanus, Episcopique omnes in Concilio congregati, salutem et gratias plurimas.*

INTER innumera quæ nobis nostrisque Ecclesiis divina Providentia largâ manu concessit beneficia, illud quidem haud infimum locum tenet, quòd tantam scilicet erga nos nostrasque oves in cordibus vestris supremus Pastor excitaverit charitatem. Studio enim veræ fidei per novum hunc orbem propagandæ, et divinæ gloriæ promovendæ acti, tum precibus ad Deum ferventer fusis, tum largitionibus ad plerosque nostrûm subsidio indigentes liberaliter missis, operi divino infirmitati nostræ commisso cooperati estis: quo fructu qualive felici successu, non facilè dixerimus. Novæ diœceses erectæ, veteres auctæ et confirmatæ, collegia, seminaria, monasteria, xenodochia, orphanotrophia, scholæ, ecclesiæ ædificatæ; novæ auxiliares copiæ sacrarum virginum, religiosorum hominum, sacrorum ministrorum Evangelii præconum, comparatæ; ad ovile Christi non paucæ ex errantibus ovibus reductæ; regni Dei fines ampliati, et Christi sui imperio gentes quæ illum ignorabant, gla-

dio verbi à Missionariis nostris subactæ; panisque verbi Dei parvulis innumeris per regiones hasce nostras vastissimas dispersis, qui illum diutissimè frustrà petierant, tandem aliquandò fractus et distributus; Religio sancta à calumniis inimicorum vindicata, pietas inter domesticos fidei missionibus spiritualibusque exercitiis rediviva. Supremo bonorum omnium Datori hæc omnia procul dubio tribuenda; omne namque datum optimum et omne donum perfectum desursùm est: sed dum illi gratias habendas et referendas profitemur, gratiasque humiliter agimus propter magnam gloriam suam, vobis ministris providi erga nos consilii sui, gratias et habere et referre ad majorem gloriam ejus et communem Fidelium ædificationem, nostrum esse confitemur. Sincerissimas plurimasque, quamvis beneficiis impares, vobis omnibus agimus, et solemne hoc nostri erga vos animi testimonium ex imo corde proferimus mittimusque. Hoc unum addemus, magnum hìc nobis ostium adhuc apertum, regiones ad messem albescere, messem multam, operarios autem paucos; sperantes vos, et Dominum messis, sicuti fecistis, rogaturos ut mittat operarios in messem suam, atque Ecclesiis nostris ministros et dispensatores Providentiæ, ut fuistis, in posterum etiam futuros.

Baltimori, die 22 Maii 1840.

BREVE EPISTOLARE

SS. DÑI NOSTRI GREGORII PP. XVI AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

Venerabilibus Fratribus SAMUELI, *Archiepiscopo Baltimorensi, et ejus Suffraganeis.*

GREGORIUS PAPA XVI.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

PLURES accepimus litteras, quas in exitu Concilii Provincialis Baltimorensis IV à vobis mense Maio celebrati, ad nos dedistis, tum ut vestrum erga personam humilitatis nostræ sanctamque hanc Sedem obsequium, repetitâ unà omnes declaratione confirmaretis, nostrumque animum ex afflictis non uno in loco Ecclesiæ rebus sollicitum, vehementerque dolentem, amantissimè consolaremini; tum verò ut de omnibus Concilii Actis, more majorum, ad supremam Petri sedem referentes, enixè precaremini ut Decreta in illo edita probare vel etiam, ubi opus fuerit, emendare velimus, atque insuper nonnulla indulgere ac decernere, quæ vobis istic in religionis bonum cessura visa sunt. Jam verò ad memoratas petitiones vestras responsum accipietis per nostram Propagandæ Fidei Congregationem, cui Concilii Acta cognoscenda mandavimus, ac nostram super illis mentem significavimus. Et habebitis quidem in ejusdem Congregationis litteris novum documentum singularis benevolentiæ, quâ vos, Venerabiles Fratres, Ecclesias-

que vestras impensè prosequimur. Verùm abstinere non possumus quominùs hac etiam nostrâ epistolâ meritis celebremus laudibus pastoralem sollicitudinem, quâ inducti rursùs ex canonum præscripto convenistis in unum, et invocato lumine Spiritûs sancti, consiliisque invicem communicatis, tueri studuistis cleri disciplinam, et pietatem fovere fidelis populi, atque adeò convellere vitiorum germina, seductionis pericula propulsare, ac prospicere ut pueri puellæque ad veram fidem solidamque virtutem accuratiùs informentur; denique vos ipsos excitare ad Ecclesiæ jura sarta tecta servanda, et partes vestri muneris in animarum salutem alacriori usque sedulitate implendas. Profectò in iis, quæ in Synodo à vobis gesta scriptaque sunt, libentissimè recognovimus zelum quo inflammati estis ut de catholicâ Ecclesiâ, de sanctâ hac Sede, ac de vestris diœcesibus benè mereamini. Hinc autem firmiori vobiscum spe nitimur fore ut, Deo benè juvante, floreat istic quotidiè magis religio nostra sanctissima, et merito juxtà atque numero Catholicus populus augeatur. Nos interea, licet indigni, non desistimus Fraternitates vestras creditosque vobis greges, Deo et verbo gratiæ ipsius suppliciter commendare, nec dubitamus quin vos pariter minimè intermittatis Patrem misericordiarum, per Jesum Christum Filium suum, fervidis precibus obsecrare, ut infirmitatem nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi Apostolatûs pondere laborantem omnipotenti suâ virtute sustentet, omnesque actus nostros dirigat atque ad bonum exitum adducat. Denique nostræ in vos propensissimæ voluntatis pignus adjungimus Apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam vestrûm singulis, atque

istarum Ecclesiarum clericis laicisque fidelibus universis peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 19 Decembris anni 1840, Pontificatûs nostri anno decimo.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

Illmẽ ac Revmẽ Domine,

PERGRATUM S. Congregationi fuit Acta et Decreta Concilii quarti Provincialis Baltimorensis mense Maio anno 1840 celebrati, accipere ac perpendere. Nam illa jamdiù conceptam de Amplitudinis tuæ et RR. PP. DD. Episcoporum qui Concilio interfuerunt sapientiâ, religionis amplificandæ studio, et disciplinæ Ecclesiasticæ tuendæ voluntate, opinionem impensè confirmarunt. Quamobrem S. Congregatio plurimùm commendans vestrûm omnium virtutem, supplicandum SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI esse censuit, ut Apostolicâ auctoritate suâ dignaretur ea confirmare; id quod Sanctitatem Suam libenti animo fecisse ex adjecto decreto intelligetis.

Duo tantùm circa decreta ipsa existimavit S. Congregatio esse notanda, videlicet in decreto I, paragr. 2, ubi agitur de matrimoniis mixtis, post verba, *Quòd si rerum adjuncta aliquandò suadeant*, addenda esse censuit verba, *ex auctoritate Apostolicâ.* Etenim constare etiam ex decreti contextu debet, dispensationem Apostolicam super eo impedimento quoque

requiri. Prætereà in decreto sexto, ubi sermo est de adolescentium ac puerorum in scholis institutione, ad omnem non satis probatæ interpretationis prætextum auferendum, S. Congregatio verba illa delenda esse arbitrata est, *cum libertatis conscientiæ, quam leges civiles ipsæ tuentur, detrimento.*

Circa petitiones, Synodi nomine, SSmo Dño Nostro factas de Episcopis Richmondensis, Natchetensis et Detroitensis diœcesum regimini destinandis, huic epistolæ adjectas Amplitudo tua accipiet Sanctitatis Suæ litteras Apostolicas, ex quibus intelliget Richmondensem Episcopum electum esse R. D. Riccardum Whelan; Natchetensem verò, R. D. Joannem Josephum Chanche; Detroitensem denique Coadjutorem, seu Administratorem, cum omni in illam diœcesim Episcopali jurisdictione, à cujus exercitio R. P. D. Rese suspensus manet, electum esse à SSmo Dño Nostro R. D. Joannem Baptistam Odin, Congregationis Missionis, qui ad Episcopatum promotus est. Memoratæ litteræ Apostolicæ continentur in epistolis ad singulos tres istos Præsules à S. Congregatione scriptas, quas Amplitudo tua illis tradendas curabit. Tu ipse verò rem gratissimam S. Congregationi facies, singulos plurimùm hortando ut collatum iis ab Apostolicâ Sede munus libenti animo suscipiant.

De plurium Sanctorum officiis in omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus in posterum adhibendis, deque indulto super præcepto abstinentiæ die sabbato, quando jejunium non obligat, peculiaria item huic epistolæ adjecta rescripta accipies.

Prætereà quod spectat ad festum ac pervigilium SS. Apostolorum Petri et Pauli, hæc tibi significanda, SSmo Dño Nostro probante, S. Congregatio

arbitrata est, scilicet, optare se ut festum illud celebretur in omnibus superiùs memoratis diœcesibus die Dominico diem 29 Junii immediatè sequenti, nisi festum ipsum in diem Dominicum incidat. Mens etiam est S. Congregationis ut Episcopi diœcesanos suos ad jejunium sabbato quod pridie illius festi est servandum adhortentur.

Denique quod spectat ad pulcherrimam et publicâ quoque commendatione celebratam epistolam vestram Synodalem ad SSm̃um Dn̄um Nostrum, responsum à Sanctitate Suâ ipsâ subscriptum huic epistolæ adjicio.

Hæc sunt quæ de quarto Provinciali Baltimorensi Concilio tibi à me erant significanda. Reliquum est ut Amplitudini tuæ ipsi ob singularia illa ornamenta vehementer gratuler, quibus cum tantâ religionis utilitate Archiepiscopi munia obeunda curas, et precor Deum, etc.

Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 19 Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. FRANSONI, *Præfectus.*

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE DECRETORUM CONCILII PROVINCIALIS IV BALTIMORENSIS CONFIRMATIONE.

CUM Synodum quartam Provincialem Baltimorensem, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, mense Maio anno 1840 celebrantes, SSm̃um Dn̄um Nostrum Gregorium PP. XVI precati fuerint ut decreta ab eâdem Provinciali Synodo condita, Apostolicâ auctoritate confirmaret, si post accuratam eorumdem decretorum considerationem, confirmatione suâ digna illa esse judicasset; S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide habita die 16 Novembris anno 1840, referente Em̃o ac Rm̃o D. Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio, Sacri Consilii Præfecto, Synodi sapientiam, religionis incrementa procurandi studium, et Ecclesiasticæ disciplinæ custodiendæ sollicitudinem quæ in iis decretis perspicuè apparet, magnoperè commendans, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suæ ut Archiepiscopi et Episcoporum memoratis superiùs precibus annuere, et decreta de quibus agitur confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSm̃o Dn̄o Nostro relatam ab R. P. D. Ignatio Cadolinio, Archiepiscopo Edesseno, S. Congregationis Secretario, in audientiâ diei 22 Novembris 1840, Sanctitas Sua in omnibus benignè probavit, et decreta de quibus sermo est, Apostolicâ confirmatione roborata, in

diœcesibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis servanda esse mandavit.

Datum Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 12 Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. FRANSONI, *Præfectus.*

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis.*

PETITIONES

SYNODI NOMINE, SS. DOMINO NOSTRO GREGORIO PP. XVI FACTÆ.

PETITUR DISPENSATIO SUPER JEJUNIO IN VIGILIA FESTI SS. PETRI ET PAULI SERVANDO.

Sanctissime Pater,

EA est disciplinæ diversitas intra Fœderatas has Provincias, quòd in quibusdam diœcesibus in vigiliâ festi SS. Petri et Pauli jejunetur, in aliis verò non ita, quin festus ipse dies ullibi tanquàm de præcepto servetur: ideò supplicandum Sanctitati Vestræ censuimus, re in Concilio Provinciali maturè perpensâ, ut dignetur obligationem jejunii in vigiliâ prædictâ prorsùs tollere per totam Provinciam singulasque diœceses, ut ubique eadem vigeat disciplina. Quod de gratiâ et indulgentiâ Sanctitatis Vestræ speramus.

Baltimori, 24 Maii 1840.

Quid eâ de re S. Congregatio rescripserit, reperietur suprà, 187.

PETITUR DISPENSATIO SUPER PRÆCEPTO ABSTINENTIÆ DIE SABBATI, ET PRO VIGINTI ANNIS CONCEDITUR.

Sanctissime Pater,

OB graves quibus laborant Fideles harum Provinciarum incolæ difficultates, concessa est, Apostolicæ Sedis indulgentiâ, dispensatio ad decennium à lege abstinentiæ singulis sabbatis, in quibus jejunandum non sit: sed cùm eadem adhuc sint adjuncta, censuimus, in Concilio Provinciali congregati, supplicandum esse S. Sedi ut dispensatio fiat perpetua, præsertim cùm eâ ratione facilior reddatur Acatholicorum ad Ecclesiam reditus. Quod de Sanctitatis Vestræ sapientiâ et gratiâ humiliter speramus.

Baltimori, 24 Maii 1840.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, HABITA DIE 22 NOVEMBRIS.

CUM SSmo D. N. Gregorio Divinâ Providentiâ PP. XVI relatum fuerit RR. PP. DD. Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos Fœderatæ Americæ Septentrionalis, in Synodo quartâ Provinciali Baltimorensi, mense Maio anno 1840 habitâ, congregatos, petiisse Apostolicum Indultum prorogari, quo concessum est ut in iis Provinciis die Sabbati, quando præceptum jejunii non obligat, durantibus circumstantiis, dispensare Episcopi possint super præcepto abstinentiæ ab esu carnium; Sanctitas Sua in audientiâ die 22 Novembris 1840, mihi subscripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario tributâ, memoratum superiùs Indultum, ser-

vatâ ejusdem formâ ac tenore, ad viginti alios annos benignè prorogare dignata est.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die et anno quibus suprà.

I. Archiep. Edessenus.

PETUNTUR NONNULLA OFFICIA PER TOTAM PROVINCIAM CELEBRANDA.

Sanctissime Pater,

UT uno ore glorificetur Deus ubique per Fœderatas has Provincias, Archiepiscopus Baltimorensis et Episcopi diœcesum omnium Fœderatæ Americæ in Concilio Provinciali congregati supplicant Sanctitati Vestræ, ut dignetur indulgere, ut officia quædam aliquibus diœcesibus jam concessa, et alia nonnullis aliis locis communia, quorum catalogum adnectimus, possint ubique per Fœderatam Americam recitari. Quod de indulgentiâ Sanctitatis Vestræ speramus.

Officia de quibus agitur, hæc sunt:

23 Januarii.	Desponsatio B. Mariæ Virg. *dupl. maj.* festo S. Raymundi de Pennaf. translato ad diem 28 Januarii.
17 Martii.	S. Patritii, Ep. et Conf. *dupl.*
18	S. Gabrielis, Archangeli, *dupl. maj.*
22 Maii.	S. Joannis Nepomuceni, Martyris, *dupl.*
24	B. Mariæ V. titulo Auxilium Christianorum, *dupl. maj.*

16 Junii. S. Joannis Francisci Regis, Conf. *dupl.*

21 S. Aloysii Gonzagæ, Conf. *dupl.*
S. Irenæi Episc. et Mart. *dupl.*

2 Augusti. S. Alphonsi de Ligorio, Episc. et Conf. *dupl.*

24 Octobris. S. Raphaelis, Archangeli, *dupl. maj.*

14 Nov. S. Stanislai Kostkæ, Conf. *dupl.*

18 Decembris. Expectatio Partûs B. Mariæ Virg. *dupl. maj.*

FESTA MOBILIA.

Feriâ 6 post Dom. Quinquag. SS. Passionis D. N. J. C. *dupl. maj. ad libitum.*

Feriâ 6 post Dom. 1 Quadrag. SS. Spineæ Coronæ, *dupl. maj. ad libitum.*

Feriâ 6 post Dom. 2 Quadrag. De Lanceâ et Clavis, *dupl. maj. ad libitum.*

Feriâ 6 post Dom. 3 Quadrag. De quinque Vulneribus, *dupl. maj. ad libitum.*

Feriâ 6 post Dom. 4 Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis, *dupl. maj. ad libitum.*

Dom. 3 post Pascha, Patrocinium S. Joseph, *dupl. 2 classis.*

Feriâ 6 post Oct. SS. Sacramenti, Festum SS. Cordis Jesu, *dupl. maj.*

Dom. 3 Octobris, Maternitatis B. Mariæ Virg. *dupl. maj.*

Dom. 2 vel 3 Novembris, Patrocinii B. Mariæ Virg. *dupl. maj.*

Officium SS. Sacramenti, per annum, *semid.*

Officium Conceptionis B. M. V. per annum, *semid.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE SUPRA MEMORATIS OFFICIIS.

CUM in S. Congregatione Generali de Propagandâ Fide, die 16 Novembris 1840 habitâ, referente Emõ ac Rmõ D. Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio, S. Consilii Præfecto, actum fuerit de petitione superiùs expositâ, quam ex Synodo quartâ Provinciali Baltimorensi, mense Maio 1840 celebratâ, RR. PP. DD. Archiepiscopus Baltimorensis et Fœderatarum Americæ Septentrionalis Provinciarum Episcopi SSmõ Dño Nostro, communi suffragio, faciendam statuerunt; S. Congregatio censuit ac decrevit Sanctitati Suæ supplicandum ut, rubricarum præscripto diligenter servato, Synodi memoratæ precibus annuere dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmõ Dño Nostro Gregorio PP. XVI relatam ab R. P. D. Ignatio Cadolinio, Archiepiscopo Edesseno, S. Congregationis Secretario, in audientiâ diei 22 Novembris 1840, Sanctitas Sua benignè probavit, et pro omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus petitam superiùs facultatem impertita est.

Datum Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 12 Decembris 1840.

J. Philippus Card. FRANSONI, *Præfectus.*

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis.*

RESPONSA

S. CONGREGATIONIS RITUUM AD NONNULLA QUÆSITA CIRCA OFFICIA SUPERIUS MEMORATA.

BALTIMOREN.

DECIMO Kalendas Decembris superiori anno 1840, ad enixas preces Patrum quartæ Synodi Provincialis Baltimorensis, SSm̃us Dn̄us Noster Gregorius Papa XVI impertitus est pro omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus nonnulla intra annum officia Sanctorum, quæ dum in kalendariis ordinabantur, nonnulla excitata sunt dubia, ad quorum solutionem, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requirendam constituit alter ex Directoribus Seminarii S. Mariæ Baltimorensis, cui cura demandata est nonnulla Fœderatæ ipsius Americæ kalendaria efformare pro regulari iisdem in diœcesibus divinorum officiorum celebratione. Proposita itaque dubia sunt sequentia, nimirum:

1. Concessum est Officium S. Irenæi, Episc. et martyris, nullâ assignatâ die quâ recitari debeat. Cùm autem hoc festum in martyrologio pronuntietur die 28 Junii, quæritur an de eo fieri debeat hac ipsâ die 28 Junii, festo S. Leonis ad diem septimam Julii fixè translato.

2. In Indulto Apostolico exprimitur Officium S. Irenæi simpliciter, et sine addito. Porrò ea fuit mens Patrum Concilii Baltimoren. petere pro hoc Officio prout Lugduni in Galliâ celebratur: at ex quibusdam Romani Breviarii editionibus videtur quòd

id festum Lugduni celebretur de S. martyre Irenæo Episcopo, et sociis ejus. Quæritur itaque utrùm in hisce Fœderatæ Americæ Diœcesibus faciendum sit de S. Irenæo tantùm, vel de SS. martyribus Irenæo Episcopo, et sociis ejus?

3. Si Officium sit de S. Irenæo tantùm, undenam sumendæ sunt lectiones secundi et tertii Nocturni, ac Missa?

4. Si fiat de S. Irenæo et sociis ejus, possuntne tanquàm approbatæ haberi illæ lectiones Lugduni in Galliâ recitatæ ab illis qui Romano Breviario utuntur?

5. Sanctitas Sua benignè concessit sequentia Officia singulis Feriis sextis Quadragesimæ *ad libitum* recitanda sub ritu duplicis majoris, nempè Commemorationis Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum, Sacrorum quinque vulnerum, et Pretiosissimi Sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat festum altioris ritûs, quæritur an suprà memorata Officia transferri possint ad primam diem non impeditam intra Quadragesimam.

6. Inter Officia nuper concessa omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœcesibus, sunt Officia tum SS. Sacramenti in feriis quintis, tum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis in sabbatis per annum. Porrò hæc eadem Officia jamdudùm à Pio VI sa. me. concessa fuerant Baltimorensi, et quibusdam aliis Diœcesibus cum eo privilegio, ut iis Presbyteris qui in prædictis Feriis, iter aliquod suscipere deberent pro visitandis catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare, et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Adventûs, Quatuor Temporum, et Quadragesimæ. Quæritur an recenti concessione suprà memoratum privilegium revocatum

sublatumque fuerit, vel adhuc perseveret; et posito quòd perseveret, utrùm ad omnes Fœderatæ Americæ Septentrionalis Diœceses extendatur, et pertineat?

7. Utrùm in Anniversariis Creationis et Consecrationis Summi Pontificis, pro tempore regnantis, in universâ Ecclesiâ dici debeat vel possit in Missâ Oratio, *Deus omnium fidelium;* et quatenùs affirmativè, an hæc Oratio dicenda sit etiam in Festis primæ et secundæ classis?

Emus itaque ac Revmus D. Cardinalis Carolus Maria Pedicini, Episcopus Portuen. S. Rufinæ et Centumcellarum, S. Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, et Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Smo Dño Nostro tributarum, omnibus maturo examine libratis, rescribi mandavit:

Ad 1. Servetur dies Martyrologii Romani.

Ad 2 et 3. De S. Irenæo tantùm, cum lectionibus secundi Nocturni adprobatis die 27 Aprilis 1784.

Ad 4. Jam provisum.

Ad 5. Affirmativè, et intra Quadragesimam tantùm.

Ad 6. Præcedens Indultum manet in suo robore, nec extendi potest sine novâ concessione.

Ad 7. Collecta pro Summo Pontifice in diebus Creationis et Coronationis dici debet, et sub unicâ conclusione in duplicibus secundæ Classis.

Die 22 Maii 1841.

C. M. Ep. Portuen. Card. Pedicinius, *S. R. E. Vice-Cancellarius, S. R. C. Præfectus.*

I. G. Fatati, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, CIRCA ECCLESIASTICA BONA TUTO SERVANDA.*

CUM in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus nulla à legibus civilibus ecclesiastica successio agnoscatur, et ideò nullum jus nec Episcopis nec Sacerdotibus ab iisdem legibus tribuatur transmittendi suis successoribus bona quæcumque, quæ à piâ Fidelium largitate ad ecclesiasticos vel pios usus, sive Episcopis sive Sacerdotibus donata fuerunt; prædictorum bonorum (circa quæ Concilii Provincialis Baltimorensis IV Patres pastoralem sollicitudinem laudabiliter ostenderunt decreto VIII) securitati prospicere volens S. Congregatio de Propagandâ Fide, decrevit in posterum servanda esse quæ sequuntur:

1. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi omnes in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus, statim post hujus Decreti receptionem, testamentum juxta leges Statûs in quo degunt, quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi comparabunt, conficiendum curent. Illud autem duplicato, et æquè authentico chirographo seu exemplari omninò efficient, atque heredem bonorum omnium ecclesiasticorum ad pios usus sibi vel prædecessoribus suis, vel quibusvis aliis sive laicis sive clericis donatorum, quæ ipsi actu possideant vel jus ad possidendum habeant,

* Hoc Decretum de Ecclesiasticis bonis tutò servandis, SSmo Domino Nostro probante editum est, et ad ea refert quæ in Concilio Provinciali IV Baltimorensi statuta sunt, suprà, 172.

Istius autem Decreti rigorem, annuente Sede Apostolicâ, mitigatum fuisse patebit ex Decreto primo Concilii Provincialis V.

illum ex Coepiscopis suis Americanis, quem magis in Domino expedire judicaverint, constituent. Hunc autem si fortè ex vivis excedere acciderit, alium ex iisdem Coepiscopis in eodem testamento substituant, atque ejus loco heredem nuncupent.

2. Testamento igitur duplici et æquè authentiço chirographo exarato, alterum ex exemplaribus Episcopi omnes ad Baltimorensem Archiepiscopum, hic verò ad seniorem Episcopum, loco tuto custodiendum mittat; alterum verò testator ipse penes se asservabit. Moneatur etiam à testatore Episcopus, qui heres constitutus fuerit, per litteras quas perlectas comburet, eo tantùm fine se heredem nuncupatum fuisse, ut bona omnia ecclesiastica diœcesis religiosè custodiantur, donec à S. Sede successor eligatur, illique tunc fideliter et legitimè transmittantur.

3. Testatore vitâ functo, heres maximâ quâ poterit curâ, bonorum omnium, tum mobilium, tum immobilium conservationi prospiciet, atque inter Sacerdotes diœcesis defuncti Episcopi ministrum idoneum et fidelem eligat, cui per procurationis mandatum administrationem bonorum committet, eâ tamen lege ut rationem, cùm opus fuerit, fideliter reddat.

4. Statim ac Episcopi defuncti successor à S. Sede de more electus fuerit, atque litteras Apostolicas electionis acceperit, Episcopus qui decessoris ejus heres per testamentum constitutus fuerat, hereditatem universam illi instrumentis juxta formam à legibus civilibus præscriptam omninò tradet; atque sive per se, sive per procuratorem, cui bonorum administrationem commiserat, rationem reddere curabit.

5. Si quem autem Episcoporum Coadjutorem habere contigerit, hunc per testamentum heredem instituet.

6. Archiepiscopi munus erit sedulò invigilare et curare ut à Suffraganeis aliisque Statuum Unitorum Episcopis omnia quæcumque hoc Decreto S. C. præscribuntur, religiosissimè serventur. Moneat Episcopos, qui testamentum conficere et ad Metropolim mittere neglexerint, vel formam à legibus civilibus requisitam non servaverint, vel aliquo adminiculo legibus contrario illud irritum reddiderint. Si quando autem monitiones suas nullum effectum consequi viderit, de hoc S. Congregationem certiorem per litteras facere non omittat, ut opportunum et efficax remedium huic malo adhibere tempestivè possit. De quibus omnibus Archiepiscopi conscientia oneratur. Quod autem spectat ad ipsum Archiepiscopum, is qui in Provinciâ reperietur à consecratione Episcopali susceptâ antiquior Episcopus, hoc munus obibit.

7. Quò autem prædicta omnia ritè et rectè præstare valeat Archiepiscopus, accuratam notitiam legum circa testamenta, quæ in unoquoque ex Statibus Unitis vigent, sicut etiam adminiculorum, seu, ut aiunt, *formalitatum*, quæ ad testamentorum validitatem requiruntur, tum per Episcopos ipsos, tum etiam per juris consultos et legis peritos, quantociùs obtinere non omittat; et ne hæc omnia memoriâ excidant, eorum indiculum apud se scriptum retinebit.

8. Testamenta verò ipsa, quæ ad Archiepiscopum mittentur, nullo sigillo claudantur, sed folium in quo includuntur, in formâ epistolarum usitatâ complicatum, et Archiepiscopo vernaculâ linguâ inscriptum, sigillo muniatur, utì aliæ epistolæ communes, ut eo aperto Archiepiscopus testamentum legere, atque an ritè ac rectè confectum fuerit, omnibus attentè perpensis, judicare possit, adhibito etiam, si opus fuerit, peritorum in legibus civilibus consilio.

9. De bonis verò ecclesiasticis, quæ jure à civili potestate concesso, ab Episcopis, Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, aliisque locis piis possidentur, vel rectà ad Episcoporum successores transeunt, nil est quod hoc decreto statuatur; ideoque in illo minimè includuntur. Episcopi igitur, si qui sint qui nulla alia bona Ecclesiastica suo nomine possideant, ad testamentum superiùs descriptum faciendum non tenentur.

10. Eâdem sollicitudine S. Congregatio providere volens securitati bonorum Communitatum omnium, sive Ecclesiasticarum, sive Religiosarum, tum virorum, tum etiam puellarum, et quarumcumque aliarum piarum institutionum, quæ inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem eorum naturæ participant, atque sollicitâ Ecclesiæ Pastorum curâ piis usibus ob quos vel comparata vel donata fuerunt, servanda et posteris fideliter transmittenda sunt, quæ sequuntur decernit.

11. Archiepiscopus et Episcopi, post decreti hujus receptionem, ad Superiores, Præfectos, vel Præsides Communitatum, quæ intra diœcesis suæ fines reperiuntur, scribent, illisque omnibus auctoritate S. C. quæ illis omnibus ad hoc specialiter delegatur, præcipient ut, quamprimùm fieri poterit, certiorem per litteras Episcopum ipsum faciant: 1. An, quæ, et quo onere, bona possideat Communitas cui præest? 2. An suæ Communitati facultas seu jus à civili potestate datum fuerit, bona omnia vel eorum partem possidendi, et ad successores transmittendi (If they have been incorporated, and empowered to hold all, or any part of their property, and what?) 3. An bona omnia, vel aliqua eorum pars à Superiore vel ab aliquo Communitatis membro, vel à pluribus conjunctim possideatur? 4. An aliquem invenerint modum

tutò ad successores bona prædicta transmittendi, et quis sit modus iste? 5. An nullus alius habeatur modus præter testamentum?

12. Responso accepto, Ordinarius quid agendum sit facilè comperiet: nam si quæ sint Communitates, quibus jus à potestate civili tributum fuerit possidendi, et ad successores transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem suam exercendi ad eorum conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona, per societatis contractum, quo bona in communi possidentur à tribus vel quatuor Communitatis membris, ita ut omnes socii jus illud possideant naturalis suæ vitæ tempore; sed quocumque ex illis mortuo, jus apud superstites socios remaneat possidendi bona universa, nullâ factâ cuique ex ipsis potestate alienandi suæ vitæ tempore, vel per testamentum relinquendi bona prædicta post mortem; tunc id tantummodò ab Episcopo curandum erit, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex Communitatis membris in societatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti remaneat via transmittendi bona ad successores, præcipiat Episcopus Superioribus, vel illi qui suo proprio nomine Communitatis bona possidere tunc poterit, ut statim testamentum juxta leges civiles duplici exemplari æquè authentico perficiat, ex quibus unum in Communitatis scriniis diligenter asservetur, alterum verò ad Episcopum Diœcesanum in archivo asservandum mittatur.

13. Ad Communitates autem quarum bona ab Episcopo possidentur, de hoc decreto nulla erit scribendi necessitas, cùm per testamentum Episcopi satis bonorum illorum securitati prospiciatur.

14. De Superioribus decreto huic minimè obsequentibus, post unam vel alteram monitionem, Episcopi ad S. Congregationem scribent, quò mala, quæ inde sequi possent, opportuno remedio præcaveantur.

Hæc sunt quæ de bonis in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus ad Ecclesiam sive jam pertinentibus sive in posterum spectaturis, tutò servandis, S. Congregatio statuenda esse judicavit.

Factâ verò SSmo Dño Nostro Gregorio PP. XVI rei totius relatione per R. P. D. Ignatium Cadolinium, Archiepiscopum Edessenum, S. Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, quæ superiùs præscripta sunt in omnibus confirmavit, et exequenda esse jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 15 Decembris 1840.

Jacobus Philippus Card. FRANSONI, *Præfectus.*

I. Archiepiscopus Edessenus, *à Secretis.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE V,

HABITUM

ANNO 1843.

CONCILIUM PROVINCIALE V,

BALTIMORI HABITUM MENSE MAIO,

ANNO 1843.

ACTA CONCILII.

CŒTUS PRÆPARATORIUS.

DIE 13 Maii, horâ undecimâ A. M. habitus est cœtus præparatorius in ædibus Archiepiscopalibus, præsentibus Illmis ac Revmis DD. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; Benedicto J. Fenwick, Episcopo Bostoniensi; Michaele Portier, Episcopo Mobiliensi; Joanne B. Purcell, Episcopo Cincinnatensi; Guidone I. Chabrat, Episcopo Bolinæ *in part.* et Episcopi Ludovicopolis Coadjutore; Antonio Blanc, Episcopo Neo-Aureliæ; Joanne Hughes, Episcopo Neo-Eboracensi; Riccardo P. Miles, Episcopo Nashvillensi; Cœlestino R. L. G. de la Hailandiere, Episcopo Vincennopolitano; Joanne J. Chanche, Episcopo Natchetensi; Riccardo V. Whelan, Episcopo Richmondensi; Petro P. Lefevere, Episcopo Zelano *in part.* et diœcesis Detroitensis Administratore; Pe-

TRO R. KENRICK, Episcopo Drasensi *in part.* et Episcopi S. Ludovici Coadjutore; JOANNE M. ODIN, Episcopo Claudiopolis *in part.* et Vicario Apostolico *Texas.*

Plura disceptata sunt, et accommodata pro recto ordine Concilii.

SESSIO PRIMA.

DOMINICA quartâ post Pascha, die 14 Maii anno R. S. 1843, inceptum est Concilium Baltimorense Provinciale quintum in Ecclesiâ Metropolitanâ, horâ decimâ A. M.

Post solemnes supplicationes ab ædibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Illmo ac Revmo D. MICHAELE PORTIER, Episcopo Mobiliensi, rogatu Archiepiscopi; et post concionem ab Illmo ac Revmo D. BENEDICTO J. FENWICK, Episcopo Bostoniensi, apertum est Concilium juxta formam in Pontificali præscriptam, emissâ fidei professione ab Illmis ac Revmis DD. JOANNE HUGHES, Episcopo Neo-Eboracensi; JOANNE J. CHANCHE, Episcopo Natchetensi; RICCARDO V. WHELAN, Episcopo Richmondensi; PETRO P. LEFEVERE, Episcopo Zelano, et diœcesis Detroitensis Administratore; PETRO R. KENRICK, Episcopo Drasensi, et Episcopi S. Ludovici Coadjutore; JOANNE M. ODIN, Episcopo Claudiopolis, et Vicario Apostolico *Texas.*

Præfuit Illmus ac Revmus D. SAMUEL ECCLESTON, Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Illmus ac Revmus D. BENEDICTUS JOSEPH FENWICK, Episcopus Bostoniensis;

Illmus ac Revmus D. MICHAEL PORTIER, Episcopus Mobiliensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Philadelphiensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Guido Ignatius Chabrat, Episcopus Bolinæ *in part.* et Coadjutor Episcopi Ludovicopolis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Antonius Blanc, Episcopus Neo-Aureliæ;

Illm̃us ac Revm̃us D. Mathias Loras, Episcopus Dubuquensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Joannes Hughes, Episcopus Neo-Eboracensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Riccardus Pius Miles, Episcopus Nashvillensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Cœlestinus Renatus Laurentius Guynemer de la Hailandiere, Episcopus Vincennopolitanus;

Illm̃us ac Revm̃us D. Joannes Joseph Chanche, Episcopus Natchetensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Riccardus Vincentius Whelan, Episcopus Richmondensis;

Illm̃us ac Revm̃us D. Petrus Paulus Lefevere, Episcopus Zelanus, et diœcesis Detroitensis Administrator;

Illm̃us ac Revm̃us D. Petrus Riccardus Kenrick, Episcopus Drasensis, et Coadjutor Episcopi S. Ludovici;

Illm̃us ac Revm̃us D. Joannes Maria Odin, Episcopus Claudiopolitanus, et Vicarius Apostolicus *Texas;*

Admodùm Rev. D. Riccardus S. Baker, Vicarius Generalis, et diœcesis Carolopolitanæ Administrator.

Placuit Patribus, proponente Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo, designare Officiales Concilii Provincialis, nempe:

Illmos ac Revmos DD. Michaelem Portier et Joannem Joseph Chanche, Promotores;

Reverendos DD. Joannem Baptistam Ludovicum Eduardum Damphoux, S. T. D. et Carolum Ignatium A. White, Secretarios;

Rev. D. Franciscum Lhomme, Magistrum Cæremoniarum, et DD. Thomam Foley et Olivarium Jenkins, socios ejusdem;

Rev. D. Gulielmum Blenkinsop et D. Gulielmum D. Parsons, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 15 Maii, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopi.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus: aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, cum Secretariis.

Statutum est à Patribus, singulis diebus, horâ undecimâ, agendum esse de Sacerdotibus, qui in Episcopos eligantur, proponendis.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 15 Maii, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus: aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, cum Secretariis. Aderant insuper Admodùm Rev. DD. Ludovicus Regis Deluol, S. T. D. Superior Seminarii S. Sulpitii Baltimorensis; Joannes

Timon, Superior Congregationis Missionis in Fœderatis Americæ Statibus; Petrus Joseph Verhœgen, Provincialis Societatis Jesu in Statu *Missouri;* Patritius Moriarty, Commissarius Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini in Fœderatis Americæ Provinciis;

Rev. DD. Gilbertus Raymond, S. T. D., Petrus Stanislaus Schreiber et Joseph Fey, C. S. R., Ecclesiæ Metropolitanæ Theologi;

Rev. D. Henricus B. Coskery, ab Episcopo Bostoniensi adductus Theologus;

Rev. DD. Joannes Hickey et Claudius Rampon, ab Episcopo Mobiliensi adducti Theologi;

Admodùm Rev. D. Thomas Heyden, ab Episcopo Philadelphiensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Joannes Henni, ab Episcopo Cincinnatensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Blasius Randanne, ab Episcopo Bolenæ adductus Theologus;

Rev. D. Augustinus Verot, ab Episcopo Neo-Aureliæ adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Samuel Mazzuchelli, ab Episcopo Dubuquensi adductus Theologus;

Rev. D. Antonius Penco, C. M. ab Episcopo Neo-Eboracensi adductus Theologus;

Rev. D. Eugenius H. Pozzo, O. F. P. ab Episcopo Nashvillensi adductus Theologus;

Rev. D. Terentius J. Donaghue, ab Episcopo Vincennopolitano adductus Theologus;

Rev. D. Jacobus Lancaster, ab Episcopo Natchetensi adductus Theologus;

Rev. D. Jacobus Ryder, S. J. ab Episcopo Richmondensi adductus Theologus;

Rev. D. Clemens Hammer, ab Episcopo Zelæ adductus Theologus;

Rev. D. J. B. Tornatore, C. M. ab Episcopo Drasensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes B. Gildea, ab Episcopo Claudiopolis adductus Theologus;

Rev. D. Patritius Lynch, S. T. D. ab Administratore diœcesis Carolopolitanæ adductus Theologus.

Durante Congregatione, lectis primùm à Promotoribus quæ privatæ Theologorum congregationes retulerant de quæstionibus ipsorum discussioni traditis, Theologorum de his sententiæ ab Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo rogatæ sunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 16 Maii, habita est secunda Congregatio privata, eodem loco et horâ quibus prima.

Visum est Patribus executioni mandandum esse decretum à priori Concilio latum, de erigendâ Sede Episcopali in urbe Pittsburgi.

Censuerunt etiam expedire preces Summo Pontifici porrigere, ut Sedes Episcopales in sequentibus locis erigantur, nempe: in urbe *Chicago*, quæ suâ ditione *Illinois* Statum complectatur; in urbe *Milwaukie*, quæ Territorium *Wisconsin* intra fines suæ jurisdictionis contineat; necnon in oppido *Little-Rock*, quæ Statum *Arkansas* pro diœcesi habeat.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 16 Maii, habita est secunda Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus prima.

Discussio quæstionum in privatis Theologorum congregationibus expensarum, continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 17 Maii, habita est tertia Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Visum est Patribus expedire Summum Pontificem precari, ut Territorium *Oregon* Vicarii Apostolici jurisdictioni subjiciatur.

Latum est decretum I: *De bonis temporalibus Ecclesiæ.*

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 17 Maii, horâ quartâ P. M. habita est tertia Congregatio publica eodem loco et modo quibus secunda.

SESSIO SECUNDA.

Die 18 Maii, horâ nonâ cum dimidio, post Missam solemnem ab Illmo ac Revmo D. Episcopo Neo-Aureliæ, et concionem ab Illmo ac Revmo D. Episcopo Neo-Eboracensi, habita est secunda Sessio in Ecclesiâ Metropolitanâ, juxta formam in Pontificali præscriptam.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 18 Maii, horâ primâ P. M. habita est quarta Congregatio privata in ædibus Archiepiscopi.

Visum est Patribus litteras Summo Pontifici, et Societati de Propagandâ Fide, mittendas.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 18 Maii, horâ quartâ P. M. habita est quarta Congregatio publica, ut heri.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 19 Maii, habita est quinta Congregatio privata, eodem loco et horâ quibus prima.

Latum est decretum II: *De concionibus à personis laicis in Ecclesiâ non habendis;*

Decretum III: *De his qui, divortio civili sejuncti, ad nova transeunt vota;*

Decretum IV: *De decreto Concilii Tridentini de matrimonio clandestino.*

Censuerunt Patres S. Sedi supplicandum esse, ut nova Sedes Episcopalis erigatur in urbe *Hartford*, quæ Provincias *Connecticut* et *Rhode Island* includat.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 19 Maii, horâ quartâ P. M. habita est sexta Congregatio privata, eodem loco quo manè.

Latum est decretum V: *De residentiâ Pastorum;*

Decretum VI: *De temerariâ erectione et reparatione Ecclesiarum;*

Decretum VII: *De rebus Ecclesiæ libro recensendis.*

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 20 Maii, horâ nonâ A. M. habita est septima Congregatio privata, eodem loco quo prima.

Decretum VIII latum est, *De Rituali, auctoritate priorum Conciliorum edito.*

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 20 Maii, horâ quartâ P. M. habita est octava Congregatio privata, ut heri.

Latum est decretum IX: *De confessionalibus;*

Decretum X: *De prælis typographicis à viris Catholicis in urbibus Baltimori et Cincinnati paratis;*

Decretum XI: *De officiis Pastorum animarum.*

Proponente Episcopo Mobiliensi, Illmus D. Archiepiscopus recedere rogatus est; et ipso absente, nominarunt Patres Episcopum Bostoniensem, qui Archiepiscopum, eorum nomine, his verbis alloqueretur: *Episcopi hujus Concilii gratias agunt Archiepiscopo ob humanitatem, comitatem et hospitalitatem, quibus, durante Concilio Provinciali, eos excepit: atque ut sibi diù præsideat ex animo exoptant.*

Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1846, Dominicâ quartâ post Pascha.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quintâ post Pascha, die 21 Maii, horâ decimâ A. M. post Missam solemnem ab Illmo ac Revmo Episcopo Natchetensi, et concionem ab Illmo ac Revmo Episcopo Cincinnatensi, aperta est Sessio

tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali præscripta sunt, ritè peracta est, et absoluta.

Ed. Damphoux, S. T. D. *Secr.*
Carolus I. A. White, *Secr.*

DECRETA CONCILII.

I. PERPENSO decreto S. Congregationis de bonis temporalibus Ecclesiæ*, Patres animum maximè propensum ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum, locorumque adjuncta, gravia afferre incommoda decreti executioni; singulorum tamen Episcoporum conscientiam onerandam esse, ut testamento, vel alio instrumento, consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quæ penes se sunt: quorum testamentorum duplicatum exemplar apud Archiepiscopum deponant, Archiepiscopus autem apud seniorem Episcopum, intra tres menses à suâ consecratione: quod si neglexerit Episcopus aliquis, monebit eum officii Archiepiscopus, eumque diù cessantem ad S. Congregationem deferet. Idcircò orant Patres ut S. Sedes dignetur decreti rigorem hac ratione mitigare.

II. Statutum est ne laicis personis unquàm permittatur verba ad populum facere in Ecclesiis, sine Ordinarii licentiâ, postquàm consecratæ, vel tantùm benedictæ fuerunt.

III. Cùm lege divinâ vetitum sit homini separare quos Deus conjunxit, monemus Episcopos ut in suis

* Suprà, 198.

synodis sub pœnâ excommunicationis *ipso facto*, prohibeant iis qui divortio civili sejuncti sunt, ne ad nova transeant vota, legitimo vinculo posthabito.

IV. Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentinum de clandestino matrimonio ad alias parœcias diœceseos Detroitensis, extra ipsam civitatem, adhuc extendere; nec ad alias diœceses Americæ Fœderatæ, præter eas in quibus jam noscitur promulgatum: et orandam esse S. Sedem ut dispenset quoad ipsam civitatem Detroitensem.

V. Præsules omnes hujus Provinciæ in Domino monemus, ut invigilent executioni eorum quæ à S. Tridentinâ Synodo decreta sunt de Pastorum residentiâ, curentque ne populus fidelis careat copiâ Missæ audiendæ in diebus præsertim Dominicis et festis; vel ægrotantes, subsidio sacramentorum: et in synodis suis pœnas statuant in eos qui absque gravi causâ vel licentiâ abfuerint.

VI. Monemus Episcopos ut invigilent ne Sacerdotes, vel Ecclesiis temerè erigendis aut reparandis, vel aliâ ratione, ære alieno contrahendo, res Ecclesiæ onerent, aut fidem fallant cum religionis dedecore: ideò exigant rerum rationem saltem quotannis, nec sinant eos æs alienum absque licentiâ scripto datâ, Ecclesiæ nomine vel causâ, contrahere.

VII. Moneantur Sacerdotes ne res suas rebus Ecclesiæ immisceant, cum famæ suæ discrimine, vel offensione Fidelium, qui injuriam fieri Ecclesiæ facilè existimant. Idcircò habeant librum quo res omnes Ecclesiæ recensentur; et si ipsi pecuniam in Ecclesiæ usum contulerint, id fiat probante Episcopo, et cum virorum fide dignorum notitiâ, et in libro referatur, ut Episcopus visitationem habens possit singula inspicere, et jura omnium tueri.

VIII. Patres unanimi voce probarunt Rituale Romanum editum auctoritate Conciliorum Provincialium secundi et quarti, curante Episcopo S. Ludovici, sed permiserunt ut Appendix fieret amplior, precibus quibusdam vernaculâ linguâ redditis, judicio Archiepiscopi, prout in Concilio quarto decretum est. Districtè tamen præceperunt Sacerdotibus omnibus latinam formam precum nunquàm omittere.

IX. Confessionalia in Ecclesiis erigenda, pro mulierum confessionibus excipiendis, decrevit Concilium primum Baltimorense, quod districtè servandum omninò est. Ecclesiæ autem nomine, ad confessiones audiendas, Sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens.

X. Cùm intellexissent Patres præla typographica à viris catholicis in urbibus Baltimori et Cincinnati parari, inspectantibus clericis ab Ordinario designatis; quoniam id bonis moribus et Religionis utilitati opportunum esse viderunt, illud maximè probarunt.

XI. Juxta præscriptum et mentem Ritualis Romani, sedulus sit Pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus, etiam postquàm ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet; et elicito ab iis, si possint, novo confessionis et contritionis actu, novâ identidem donet absolutione.

Sit pariter assiduus in prædicatione verbi divini, juxta modum quem Concilium Tridentinum præscribit (*Sess.* V, *Cap.* 2 *de Ref.*) scilicet, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro suâ et eorum capacitate, pascat salutaribus verbis; docendo non vana vel intricata, sed quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; non quæ admirationem erga loquentem provocent, sed quæ ipsorum audientium ædificationem, et pietatis incremen-

tum promoveant, v. g. motiva et frequentem praxim actuum fidei, spei, charitatis et contritionis; dispositiones requisitas ad sacramenta utiliter recipienda; vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat; det lac spirituale infantibus, adultis autem pietate solidum cibum; in sermone, sicut in opere, fiat omnia omnibus, ut animos ritè dirigat in viâ salutis, omnesque pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.

† Ego Samuel, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego Benedictus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

† Ego Guido Ignatius, *Episcopus Bolinensis, et Episcopi Ludovicopolis Coadjutor, definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Episc. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego Mathias, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Pius, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripsi.*

† Ego Cœlestinus Renatus Laurentius, *Episc. Vincennopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Joseph, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Vincentius, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Paulus, *Episcopus Zelanus, et diœcesis Detroitensis Administrator, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Riccardus, *Episcopus Drasensis, et Coadjutor Episcopi S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Maria, *Episcopus Claudiopolitanus, et Vicarius Apostolicus Texensis, definiens subscripsi.*

Ego Riccardus S. Baker, *Vic. Generalis, et Diœcesis Carolopolitanæ Administrator, subscripsi.*

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

GREGORIO XVI, PONTIFICI MAXIMO,

Archiepiscopus Baltimorensis ceterique Fœderatæ Americæ Præsules.

Beatissime Pater,

FINEM hodie imposituri Concilio Provinciali Baltimorensi quinto, in quo Dominicâ quartâ post Pascha convenimus, oculos, mentes et corda ad Beati Petri successorem, et ad Sedem principalem, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram, ut fas est, convertimus, velut ad solem æterni luminis, ut ex ipsâ rutilantem veritatis, et sanctorum ac spiritualium

dogmatum splendorem recipiamus, cum approbatione et confirmatione decretorum, quæ statuenda censemus pro prosperitate et pace Ecclesiarum nostrarum, si ea quæ à nobis condita sunt, supremo Apostolicæ Sedis judicio, cui et nosmetipsos et acta nostra submittimus, sancienda videantur. Ad pedes Sanctissimi Patris nostri Gregorii, feliciter et gloriosè regnantis, provoluti, gratos et jucundos animorum nostrorum sensus cohibere non possumus, videntes quòd sub Pontificatu ejus longiùs latiùsque in dies diffundantur Evangelici luminis radii, et Civitas sacerdotalis et regia pacificas Christi Redemptoris victorias, et suas, ubique terrarum extendat. Gloriosa quidem nobis dicta sunt de certaminibus non sine sanguine, qui semen Christianorum fiat, athletarum sanctæ Religionis nostræ invictorum, qui in plagis orbis terrarum Orientalibus, jam à plurimis sæculis, imò ab ipsomet reparatæ salutis nostræ initio, umbræ mortis caligne coopertis, evangelizant pacem, evangelizant bona. Advenit tempus acceptabile, advenerunt dies salutis. Ad altam Petri rupem confugiunt, ut ab inundantibus idololatriæ, superstitionis, hæresum, vitiorumque fluctibus tutæ fiant gentes. Ad Christi summi animarum nostrarum Pastoris Vicarium tendunt manus Asiatici, tendunt et Æthiopes; petunt panem, exquirunt lucem. Nomen Jesu, à quo non est aliud nomen datum hominibus in quo salvi fierent, confitentur, almum recognoscentes sequentesque Pastorem, cui soli à Domino commissa est cura universum gregem ejus, agnos scilicet pascendi et oves. In Europâ verò, ut ad aures nostras fama verax detulit, prævaricatores revertuntur ad cor; seu, ut magis placet dicere, ad domum suam jucundam, unde spiritu erroris innumeri seducti et alienati fue-

rant, filii regrediuntur, et ab amantissimo Patre apertis brachiis complectuntur. Tristissimâ enim experientiâ ipsis jam constat sicut et ceteris, altâ voce nobiscum consentientes proclamant radium à sole, ramum ab arbore, à fonte rivum, membrumque à corpore separatum, extingui, arefieri, exsiccari, emori. Inde etiam est quòd, Dei adjuti gratiâ, Deiparâque, ut certò est dicere, auspice, qui cæci cæcorum duces constituti plurimos in foveam cadere fecerunt, nunc autem lumen veritatis felici omine recipientes, viam quæ ad patriam ducit, piè nobis æmulantes, adhuc errantibus ostendunt.

In vastissimis verò regionibus humilitati nostræ commissis, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ, verbum Dei currit et dilatatur. Numerus Sacerdotum, Ecclesiarum, institutionum religiosarum, scholarum, Fideliumque quotidiè crescit. Ut simplex pro plurimis sufficiat exemplum, in unâ Diœcesi, intra tres vel quatuor annos, quadraginta tres, non minùs, constructæ sunt Ecclesiæ. Oves, unâ vel alterâ solummodò exceptione factâ, obediunt præpositis suis, eosque sequuntur; disciplina ecclesiastica in singulis diœcesibus viget; secundi ordinis Sacerdotes cum Ordinariis suis, tanquàm chordæ in citharâ, consentiunt; Præsulesque nostri omnes cum dignissimo Archipræsule et confratribus suis concordantissimâ Episcopali voluntate conveniunt. His autem adjungere lubet quæ pro Silvestribus hominibus ultra Montes Ruposos à Missionariis Societatis Jesu facta sunt, et pro Nigris in plagis Africæ Occidentalibus, qui, præcipiente S. Sede, à sacerdotibus nostris evangelizantur. Tacere quidem non oportet hostes nominis Christi infensissimos, eosque, eheu! numerosos, arcem fidei impugnare, totisque viribus ab altis radi-

cibus ejus dejicere conari. Hoc ut efficiant, dubias contra nos in vulgus voces spargunt; libros qui calumniantur sanctissimam Religionem nostram, omni nisu apud rudes ignarosque divulgant; servos suos Catholicos hæresum suarum veneno ut inficiant nihil intactum relinquunt, patremque suum qui ab initio mendax fuit imitantes, nos Catholicos concives suos, quamvis patres nostri sanguinem suum tanquàm aquam profuderint pro vindicatione libertatis contra oppressorem acatholicum, Gubernio suspectos obnoxiosque reddere, utpote, ut falsò asserunt, sub alieni principis, Pontificis scilicet Romani, ditione politicâ et civili in servitutem redactos, ideoque Reipublicæ infidos. Sed non est sapientia, non est fortitudo contra Dominum. Vitam moresque nostros inspicientes, palàm coram omnibus profitentur Religionem Catholicam omni societatis civilis statui, omni quod pacem felicitatemque populorum promovet gubernio esse accommodatam. Hinc est quòd in laqueo quem pro nostris paraverunt, irretiti sunt pedes eorum, et in puteum quem pro nobis effoderunt, ipsi, ita vindice nostro volente Deo, ceciderunt.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ ad Sanctitatis Vestræ pedes deponere voluerunt obedientissimi Beatitudinis Vestræ filii, præsules Americæ Septentrionalis Fœderatæ, in quinto suo Concilio Provinciali congregati, commendantes se suosque omnes Sanctitati Vestræ, benedictionem ejus Apostolicam humillimè efflagitantes, Deumque optimum, maximum, enixè deprecantes ut dies super Sanctitatis Vestræ dies adjiciat, diuque sospitem felicemque conservet pro pace, decore, augmento, incolumitateque Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine Filii sui, Patrem Nostrum Gregorium XVI.

BREVE EPISTOLARE

SS. DÑI NOSTRI GREGORII PP. XVI AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

Venerabilibus Fratribus SAMUELI *Archiepiscopo Baltimorensi, et ejus Suffraganeis.*

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

GRATISSIMÆ nobis fuerunt vestræ litteræ, vix-dùm quinto Provinciali Baltimorensi Concilio à vobis mense Maio celebrato ad nos datæ, quibus singularem ac perspectam vestram in nos et hanc Petri Cathedram, catholicæ unitatis centrum, venerationem atque observantiam amplissimis verbis unà omnes iterùm profiteri gloriamini, atque ejusdem Concilii Acta hujus Apostolicæ Sedis judicio et auctoritati subjicientes, à nobis efflagitatis ut Decreta in ipso Concilio edita confirmare velimus. De quibus quidem Decretis opportunum vobis responsum reddet nostra Propagandæ Fidei Congregatio, cui ejusdem Concilii Acta examinanda commisimus. Summis verò meritisque laudibus episcopalem vestrûm omnium sollicitudinem prosequimur, quòd muneris vestri partes sedulò obeuntes, ex canonum præscripto rursùs in unum convenistis, ut in nomine Spiritûs sancti simul conjuncti, concordissimis animis ea susciperetis consilia, quæ majori diœcesium vestrarum bono, atque animarum saluti conducerent. Exultavit au-

tem vehementer cor nostrum in Domino, cùm ex ipsis vestris litteris noverimus in istis vastissimis regionibus vestræ curæ ac zelo concreditis, divinâ adspirante gratiâ, evangelii lucem longè lateque in dies diffundi, catholicam religionem protendi, populos Christi fidem amplecti, Silvestres quoque homines et Nigros in plagis Africæ occidentalibus evangelizari, sacra templa in Dei honorem extrui, pias institutiones crescere, sacerdotes augeri, ecclesiasticam disciplinam vigere, ac Fideles pastoris sui voci faciles aures præbere, ejusque monita perficienda curare. Itaque, Venerabiles Fratres, dum maximas Deo totius consolationis gratias agimus, qui super istas gentes misericordiam suam effundere dignatur, vobis quoque vehementer gratulamur, qui pastorali zelo incensi, nullis neque curis, neque laboribus, neque consiliis, vobis parcendum esse cognoscitis, ut de Catholicâ Ecclesiâ, de hac Apostolicâ Sede, atque animarum salute optimè mereri possitis: atque in eam profectò spem erigimur fore ut, Deo semper auxiliante, Catholica religio in istis regionibus altissimas in dies agat radices, ac prosperè feliciterque vigeat, floreat, et Fidelium numerus ita augeatur, ut omnes supernæ veritatis lumine illustrati, atque enutriti verbis fidei, incedant per semitas Domini, atque ambulent in Christo Jesu. Nos quidem non cessamus in omnibus orationibus nostris Fraternitates vestras, et commissos vobis greges Deo humiliter commendare, nihil dubitantes quin vos quoque sine intermissione ipsum miserationum Dominum orare atque obsecrare velitis, ut infirmitatem nostram, asperrimis hisce temporibus, omnium Ecclesiarum sollicitudine laborantem adjuvet atque confirmet, actusque nostros ad majorem sui nominis gloriam, et totius catholici orbis utilitatem dirigat. Interim verò

studiosissimæ nostræ erga vos caritatis pignus accipite Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam cuique vestrûm, atque omnibus istarum Ecclesiarum clericis laicisque Fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 2 Decembris anni 1843, Pontificatûs nostri anno decimotertio.

GREGORIUS PP. XVI.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLMĒ AC REVMĒ DOMINE,

ACTA ac decreta Concilii quinti Provincialis Baltimorensis, mense Maio hujus anni 1843 celebrati, S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide, die 18 Septembris habita, accuratè perpendit. Plurimùm verò commendavit singularem sapientiam ac Religionis promovendæ studium, cujus ea Acta et Decreta testimonium perspicuum continent. Gratulata autem est S. Congregatio Amplitudini tuæ et ceteris Episcopis, qui unà tecum Concilium habuerunt, luculenter intelligens nova sollicitudinis vestræ pastoralis vos argumenta quotidiè exhibere. Atque ex adjecto Decreto comperietis memorata Concilii Decreta ipsius SSmi Dñi Nostri auctoritate confirmata esse. Additum denique his litteris folium significabit perpauca, quæ in Decretis illis immutari debere S. Congregatio existimavit.

Quod spectat ad novarum Sedium Episcopalium erectionem, Episcoporum et Coadjutorum electionem*, ac Vicariatum Apostolicum in Oregonensi regione statuendum, sciatis hæc omnia, SSmo Dño Nostro probante, jam esse decreta, electis videlicet iis ad singulos Episcopatus, vel ad munus Coadjutoris obeundum, quos primo loco in singulis casibus proposuistis, excepto tantùm Vicario Apostolico Oregonensi, ad quod munus Presbyter D. Franciscus Norbertus Blanchet Canadiensis designatus est.

Hæc vobis sine dilatione scribenda esse censui, planè sciens id vobis jucundum esse futurum. Ceterùm, de novis Sedibus Episcopalibus, ac Vicariatu Apostolico Oregonensi erecto, et de singulorum Episcoporum electione, Brevia Apostolica, cùm primùm fuerint expedita, ad te mittenda curabo.

Precor Deum, etc.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 30 Septembris 1843.

J. Philippus Card. FRANSONI, *Præf.*

Joannes Brunelli, *Secretarius.*

* Novæ de quibus hìc agitur Sedes Episcopales sunt Pittsburgensis, Petriculæ seu *Little-Rock*, Chicaginensis, Hartfordensis et Milwauchensis, quæ Presbyteris infrà memoratis collatæ sunt, nempe: Pittsburgensis, Rev. D. Michaeli O'Connor; Petriculæ seu *Little-Rock*, Rev. D. Andreæ Byrne; Chicaginensis, Rev. D. Gulielmo Quarter; Hartfordensis, Rev. D. Gulielmo Tyler; Milwauchensis autem Rev. D. Joanni Henni.

Rev. D. Ignatius Aloysius Reynolds ad vacantem Sedem Carolopolitanam evectus est.

Rev. D. Joannes McCloskey R. P. D. Episcopo Neo-Eboracensi; Rev. autem D. Joannes Bernardus Fitzpatrick R. P. D. Episcopo Bostoniensi Coadjutores dati sunt.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, QUO DECRETA CONCILII BALTIMORENSIS PROVINCIALIS QUINTI CONFIRMATA DECLARANTUR.

CUM R. P. D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis, post celebratum mense Maio anno 1843, unà cum Episcopis Diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, Concilium quintum Provinciale Baltimorense, SSm̃um Dn̄um Nostrum Gregorium Papam XVI, suo et Concilii nomine precatus sit, ut Decreta ab eodem Provinciali Concilio condita Apostolicâ auctoritate confirmaret, si, post accuratam eorumdem Decretorum considerationem, confirmatione suâ digna illa esset judicavisset; S. Congregatio de Propagandâ Fide, in generali Conventu die 18 Septembris anno 1843 habito, referente Em̃o ac Revm̃o D. Jacobo Philippo, tituli S. Mariæ in Aracœli, S. R. E. Cardinali Fransonio, sacri Consilii Præfecto, plurimùm commendatâ Concilii sapientiâ, studio singulari Religionis amplificandæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ tuendæ, ac rerum gerendarum peritiâ, quæ in Decretis illis manifesta est, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suæ, ut Archiepiscopi et Episcoporum precibus superiùs significatis annuere, et Decreta de quibus agitur confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSm̃o Dn̄o Nostro relatam ab R. P. D. Joanne Brunellio, sacri Consilii Secretario, in audientiâ diei 24 Septembris 1843, Sanctitas Sua benignè in omnibus

probavit, et memorata Decreta, Apostolicâ confirmatione munita, in Diœcesibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis servanda esse jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 30 Septembris anno 1843.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præfectus.*

Joannes Brunelli, *Secretarius.*

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE VI,

HABITUM

ANNO 1846.

CONCILIUM PROVINCIALE VI,

BALTIMORI HABITUM MENSE MAIO,

ANNO 1846.

ACTA CONCILII.

CŒTUS PRÆPARATORIUS.

DIE nonâ Maii, horâ undecimâ A. M. habitus est cœtus præparatorius in ædibus Archiepiscopalibus. Aderant Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis; Illmi ac Revmi DD. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis; Joannes B. Purcell, Episc. Cincinnatensis; Guido I. Chabrat, Episc. Bolinæ *in part.* et Episcopi Ludovicopolis Coadjutor; Antonius Blanc, Episc. Neo-Aureliæ; Mathias Loras, Episc. Dubuquensis; Joannes Hughes, Episc. Neo-Eboracensis; Riccardus P. Miles, Episc. Nashvillensis; Cœlestinus R. L. G. de la Hailandiere, Episc. Vincennensis; Joannes J. Chanche, Episc. Natchetensis; Riccardus V. Whelan, Episc. Richmondensis; Petrus R. Kenrick, Episc. S. Ludovici; Joannes M. Odin, Episc. Claudiopolis *in part.* et Vicarius Apostolicus *Texas:*

Michael O'Connor, Episc. Pittsburgi; Andreas Byrne, Episc. *Little-Rock;* Gulielmus Quarter, Episc. Chicaginensis; Joannes McCloskey, Episc. Axierensis *in part.* et Coadjutor Episcopi Neo-Eboraci; Gulielmus Tyler, Episc. Hartfordensis; Ignatius A. Reynolds, Episc. Carolopolitanus.

Plura disceptata sunt, et accommodata pro recto ordine Concilii.

SESSIO PRIMA.

Dominica quartâ post Pascha, die 10 Maii anno R. S. 1846, inceptum est Concilium Baltimorense Provinciale sextum in Ecclesiâ Metropolitanâ, horâ decimâ A. M.

Post solemnes supplicationes ab ædibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Illmo et Revmo D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; et post concionem ab Illmo ac Revmo Joanne B. Purcell, Episcopo Cincinnatensi, apertum est Concilium juxta formam in Pontificali præscriptam, emissâ fidei professione ab Illmis ac Revmis DD. Michaele O'Connor, Episcopo Pittsburgensi; Andrea Byrne, Episcopo *Little-Rock;* Gulielmo Quarter, Episcopo Chicaginensi; Joanne McCloskey, Episcopo Axierensi *in part.* et Coadjutore Episcopi Neo-Eboracensis; Gulielmo Tyler, Episcopo Hartfordensi; Ignatio A. Reynolds, Episcopo Carolopolitano; Joanne Henni, Episcopo Milwauchensi, et Joanne B. Fitzpatrick, Episcopo Callipolis *in part.* ac Coadjutore Episcopi Bostoniensis; qui primâ vice Concilio Provinciali intererant.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Illmus ac Revmus D. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis;

Illmus ac Revmus D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Philadelphiensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis;

Illmus ac Revmus D. Guido Ignatius Chabrat, Episcopus Bolinæ *in part.* et Coadjutor Episcopi Ludovicopolis;

Illmus ac Revmus D. Antonius Blanc, Episcopus Neo-Aureliæ;

Illmus ac Revmus D. Mathias Loras, Episcopus Dubuquensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes Hughes, Episcopus Neo-Eboracensis;

Illmus ac Revmus D. Riccardus Pius Miles, Episcopus Nashvillensis;

Illmus ac Revmus D. Cœlestinus Renatus Laurentius Guynemer de la Hailandiere, Episcopus Vincennensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes Joseph Chanche, Episcopus Natchetensis;

Illmus ac Revmus D. Riccardus Vincentius Whelan, Episcopus Richmondensis;

Illmus ac Revmus D. Petrus Paulus Lefevere, Episcopus Zelanus *in part.* et Diœcesis Detroitensis Administrator;

Illmus ac Revmus D. Petrus Riccardus Kenrick, Episcopus S. Ludovici;

Illmus ac Revmus D. Joannes Maria Odin, Episcopus Claudiopolis *in part.* et Vicarius Apostolicus *Texas;*

Illmus ac Revmus D. Michael O'Connor, Episcopus Pittsburgi;

Illmus ac Revmus D. Andreas Byrne, Episcopus *Little-Rock;*

Illmus ac Revmus D. Gulielmus Quarter, Episcopus Chicaginensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes McCloskey, Episcopus Axierensis *in part.* et Coadjutor Episcopi Neo-Eboracensis;

Illmus ac Revmus D. Gulielmus Tyler, Episcopus Hartfordensis;

Illmus ac Revmus D. Ignatius Aloysius Reynolds, Episcopus Carolopolitanus;

Illmus ac Revmus D. Joannes Henni, Episcopus Milwauchensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes Bernardus Fitzpatrick, Episcopus Callipolitanus *in part.* et Coadjutor Episcopi Bostoniensis.

Placuit Patribus, proponente Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo, designare Officiales Concilii Provincialis, scilicet:

Illmos ac Revmos DD. Michaelem Portier et Joannem J. Chanche, Promotores;

Reverendos DD. Joannem Baptistam Ludovicum Eduardum Damphoux, S. T. D. et Franciscum Lhomme, Secretarios;

Eumdem Rev. D. F. Lhomme, Magistrum Cæremoniarum;

Rev. D. Gulielmum D. Parsons, et Magistrum Henricum S. Henniss, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die undecimâ Maii, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus: aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, cum Secretariis.

Placuit Patribus Coadjutores Episcoporum, qui Baltimorum jam advenerunt, ad Concilium admittendos cum voto decisivo; quâ tamen agendi ratione nihil decernere intendunt pro futuris Conciliis: quæstionem verò de jure quod ipsis competit sedendi, votoque decisivo gaudendi, Congregationi Theologorum per Promotores referendam.

Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus, probantibus Patribus, munus varias Epistolas scribendi demandavit Revmis DD. Episcopis infrà memoratis, nempe:

Ad Summum Pontificem, latinè, Revmo D. Episcopo S. Ludovici;

Ad clerum et populum, nomine Patrum Concilii, anglicè, Revmo D. Episcopo Philadelphiensi;

Ad Societatem de Propagandâ Fide Lugduni, gallicè, Revmo D. Episcopo Mobiliensi;

Ad Societatem Leopoldinam Viennæ, latinè, Revmo D. Episcopo Milwauchensi;

Placuit Patribus decreta, vel statuta, quæ in Concilio proponentur, latinè, vel saltem anglicè scribenda.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 11 Maii, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus: aderant Illmi ac Revmi DD. Episcopi suprà memorati, cum Secretariis.

Aderant insuper admodùm Reverendi DD. Ludovicus Regis Deluol, S. T. D. Rector Seminarii S. Mariæ Baltimorensis;

Joannes Timon, Superior Congregationis Missionis in Fœderatis Americæ Statibus;

Petrus Czackert, Superior Congregationis SS. Redemptoris in Fœderatis Americæ Statibus;

Georgius A. Wilson, Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Fœderatis Americæ Statibus;

Petrus J. Verhægen, Provincialis Societatis Jesu in Provinciâ Marylandensi;

Jacobus O. Vandevelde, Vice-provincialis Societatis Jesu in Provinciâ Missurianâ;

Rev. D. Gilbertus Raymond, S. T. D. Præses Collegii S. Mariæ Baltimorensis, } Theologi Ecclesiæ Metropolitanæ.
Rev. D. Henricus B. Coskery, }
Rev. D. Carolus I. White, }

Rev. D. Alexius J. Elder, ab Episcopo Mobiliensi designatus Theologus;

Rev. D. Joannes B. Tornatore, ab Episcopo Philadelphiensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Eduardus T. Collins, ab Episcopo Cincinnatensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Martinus J. Spalding, S. T. D. ab Episcopo Bolinensi adductus Theologus;

Rev. D. Augustinus Verot, ab Episcopo Neo-Aureliensi designatus Theologus;

Rev. D. Michael McAleer, ab Episcopo Dubuquensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Felix Varela, S. T. D. ab Episcopo Neo-Eboracensi adductus Theologus;

Rev. D. Carolus J. Carter, ab Episcopo Nashvillensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes B. Randanne, ab Episcopo Vincennensi designatus Theologus;

Rev. D. Joannes B. Saint-Germain, ab Episcopo Natchetensi adductus Theologus;

Rev. D. Henricus Tappert, C. SS. R. ab Episcopo Richmondensi designatus Theologus;

Rev. D. Carolus C. Pise, S. T. D. ab Episcopo Zelano adductus Theologus;

Rev. D. Josephus Melcher, ab Episcopo S. Ludovici adductus Theologus;

Rev. D. Jacobus Dolan, ab Episcopo Claudiopolitano designatus Theologus;

Rev. D. Thomas Heyden, ab Episcopo Pittsburgensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Joannes Corry, ab Episcopo *Little-Rock* adductus Theologus;

Rev. D. Olivarius L. Jenkins, ab Episcopo Chicaginensi designatus Theologus;

Rev. D. Joannes McCaffrey, ab Episcopo Axierensi adductus Theologus;

Rev. D. Eduardus McColgan, ab Episcopo Hartfordensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Joannes Barry, ab Episcopo Carolopolitano adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Hickey, ab Episcopo Milwauchensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Josephus V. Quiblier, ab Episcopo Callipolitano adductus Theologus.

Durante Congregatione, lectis primùm à Promotoribus quæ privatæ Theologorum congregationes retulerant de quæstionibus ipsorum discussioni traditis, Theologorum de his sententiæ ab Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo rogatæ sunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 12 Maii, habita est secunda Congregatio privata, eodem loco et horâ quibus prima.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 12 Maii, habita est secunda Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus prima.

Discussio quæstionum in privatis Theologorum congregationibus expensarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 13 Maii, horâ nonâ A. M. Præsules convenerunt in ædibus Archiepiscopi.

Latum est decretum I: *De B. Mariâ Virgine sine labe Conceptâ, in Patronam Fœderatæ Americæ Statuum eligendâ.*

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 13 Maii, horâ quartâ P. M. habita est tertia Congregatio publica, ut heri.

SESSIO SECUNDA.

Die 14 Maii, horâ nonâ, post Missam Solemnem Defunctorum ab Illmo ac Revmo D. Episcopo Natchetensi celebratam, et concionem ab Illmo ac Revmo D. Episcopo S. Ludovici habitam, Sessio secunda in Ecclesiâ Metropolitanâ, juxta formam in Pontificali præscriptam, peracta est.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 14 Maii, horâ quartâ P. M. habita est Congregatio quarta publica, eodem loco et modo quibus tertia.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 15, habita est quarta Congregatio privata, eâdem horâ et loco quibus prima.

Censuerunt Patres supplicandum S. Sedi, ut in omnibus Fœderatæ Americæ Provinciis, in Officio et Missâ Conceptionis B. Mariæ, liceat in Orationibus et Præfatione addere verba *Immaculatæ*, *Immaculatâ*, et in Litaniis ejusdem B. Mariæ, ℣. *Regina sine labe Concepta, ora pro nobis.*

Deinde latum est Decretum II: *De clericis ordinatis titulo missionis.*

QUINTA ET ULTIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 15 Maii, horâ quartâ P. M. habita est quinta et ultima Congregatio publica, eodem modo et loco quibus prima.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die Maii 16, habita est quinta Congregatio privata, eodem loco et horâ quibus prima.

Lata sunt Decreta, III: *De Bannorum proclamatione;* IV: *De administratione sacramentorum Fidelibus ex aliis diœcesibus*, et V: *De proximo Concilio Provinciali Baltimori habendo*, *anno* 1849, *Dominicâ* 4 *post Pascha.*

Postquàm discessisset Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus, gratias amplissimas ei agendas Patres statuerunt, ob propensam in ipsos voluntatem, mansuetudinem, comitatemque quam ipsis exhibuerit; quantique faciant modum omnibus probatum quo

Synodi Congregationibus præfuit, suumque gratum sensum munificæ ejus blandæque hospitalitatis.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quintâ post Pascha, die 17 Maii, horâ decimâ A. M. convenerunt in Ecclesiâ Metropolitanâ Illm̃us ac Revm̃us D. Archiepiscopus unà cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus ac Theologis. Missam celebravit Illm̃us ac Revm̃us D. Archiepiscopus; concionem verò habuit Illm̃us ac Revm̃us D. Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est Sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ritè perfecta et absoluta.

Ed. Damphoux, S. T. D. *Secr.*
Franciscus Lhomme, *Secr.*

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, gratiæ.

Chorus. Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui Conciliorum frequentiâ Americanam Ecclesiam jugiter augere, nosque rectum justitiæ tramitem et disciplinæ regimen docere dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum, et æternum.

Archid. Beatissimo Gregorio Papæ, et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et diuturna prosperitas.

Chorus. Domine Deus, sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva: mitte illi auxilium de sancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur,

et quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Reverendissimo Domino Archiepiscopo Baltimorensi, hujus Concilii præsuli, cum multis annis salutaris vigilantia, in laboribus constantia, et omnia fausta.

Chorus. Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuò multiplica.

Archid. Reverendissimis Dominis Episcopis, qui ad hoc Concilium celebrandum accesserunt, cum multis annis magnæ gratiæ.

Chorus. Magnæ gratiæ. Deus Pater luminum illustret faciem suam super eos, et accendat corda eorum in ædificationem Ecclesiæ suæ.

Archid. Episcopis et Presbyteris hujus Provinciæ, qui bonum certamen certantes ex hoc sæculo transierunt, pax à Domino, et felicitas in luce Sanctorum.

Chorus. Illorum memoria in benedictione. Dominus et illis, et omnibus qui diligunt adventum ejus, coronam gloriæ reddat justus judex.

Archid. Fidelibus Provinciæ nostræ, et cuncto populo Christiano pax Christi æterna.

Chorus. Da pacem, Domine, in diebus nostris; ut quâlibet perturbatione submotâ, populus tuus hic, universaque plebs Christiana liberis tibi mentibus deserviant.

Archid. Nos Dei voluntatem explentes, hujusque Concilii decreta corde magno et animo volenti exequentes, digni reddamur misericordiâ et gratiâ magni et summi Sacerdotis Jesu Christi Dei, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum; intercedente simul beatâ ejus genitrice Mariâ, cum beatis Apostolis Petro et Paulo, atque omnibus Sanctis.

Chorus. Amen, amen.

DECRETA CONCILII.

I. PATRES, ardentibus votis, plausu consensuque unanimi, B. MARIAM VIRGINEM SINE LABE CONCEPTAM in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum elegerunt; nullâ tamen inductâ obligatione audiendi missam et à servilibus operibus abstinendi in ipso festo Conceptionis B. Mariæ: atque ideò Summo Pontifici humiliter supplicandum ut solemnitas, nisi festum in Dominicam inciderit, transferatur in Dominicam proximè sequentem, in quâ missæ, tam privatæ quàm solemnes, de festo illo translato celebrentur, vespertinumque officium de eodem recitetur.

II. Censuerunt Patres orandam esse S. Sedem ut declarationem edat pro Statibus Americæ Septentrionalis Fœderatis, quâ statuatur Clericos in sacris, ordinatos titulo missionis, et Diœcesibus hisce addictos, nos posse absque Ordinarii sui licentiâ in scripto datâ, religiosum ordinem ingredi, prout jam Episcopis Vincennensi et Ludovicopolitano S. Congregatio rescripsit.

III. Censuerunt Patres optandum esse ut, statim atque Ordinario uniuscujusque Diœcesis utile visum fuerit, proclamationes quæ Banna vocari solent, habeantur et fiant ante celebrationem Matrimoniorum*, juxta mentem Conciliorum Lateranensis et Tridentini.

IV. Statutum est strictè inhibendos esse Pastores animarum ab administratione sacramentorum Matrimonii et Baptismi Fidelibus ex aliis Diœcesibus, qui ea à proprio Pastore facilè recipere possent.

* Ex responso S. Congregationis, quod infra, 253, reperietur, Banna etiam matrimoniorum mixtorum sunt proclamanda.

V. Censuerunt Patres proximum Concilium Provinciale habendum esse Baltimori anno 1849, quartâ post Pascha Dominicâ.

† Ego Samuel, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

† Ego Guido Ignatius, *Bolinæ Episc. et Ludovicopolitani Episcopi Coadjutor, definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Neo-Aureliæ Episc. definiens subscripsi.*

† Ego Mathias, *Dubuquensis Episc. definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Neo-Eboracensis Episc. definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Pius, *Nashvillensis Episc. definiens subscripsi.*

† Ego Cœlestinus Renatus Laurentius, *Episc. Vincennensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Joseph, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Vincentius, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Paulus, *Episc. Zelanus, Coadjutor et Administrator Detroitensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Riccardus, *Episc. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Maria, *Episc. Claudiopolitanus, et Vic. Apost. Texensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Pittsburgensis, definiens subscripsi.*

† Ego Andreas, *Episc. Petriculæ, definiens subscripsi.*

† Ego Gulielmus, *Episc. Chicaginensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Axierensis, et Coadjutor Neo-Eboracensis Episcopi, definiens subscripsi.*

† Ego Gulielmus. *Episc. Hartfordensis, definiens subscripsi.*

† Ego Ignatius Aloysius, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Martinus, *Episc. Milwauchensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Bernardus, *Episc. Callipolitanus, et Coadjutor Bostoniensis Episcopi, definiens subscripsi.*

RESPONSIO

S. CONGREGATIONIS DE PROPAG. FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, CIRCA QUÆDAM PRIVILEGIA IN HONOREM B. V. MARIÆ, SINE LABE ORIGINALI CONCEPTÆ, PETITA.

Illm̃e ac Revm̃e Domine,

ACCEPI suo tempore Acta et Decreta Synodi sextæ Provincialis Baltimorensis unà cum litteris ac supplicibus libellis ad illam Synodum pertinentibus. S. Congregatio quamprimùm ea omnia accuratè perpendet, et ejus responsa, prout moris est, Amplitudini tuæ à me significabuntur.

Interea pergratum mihi fuit, dum ab Episcopis magno numero petitiones ad Apostolicam Sedem venerunt Immaculatæ Bm̃æ Virginis Conceptionis definitionem requirentes, à Synodo quoque Baltimorensi postulatum esse ut in Missæ præfatione et oratione Immaculatæ Virginis Conceptionis, atque in Litaniis Lauretanis, Bm̃æ Virginis sine labe originali conceptæ, in Fœderatæ etiam Americæ diœcesibus, devota mentio fiat.

Huic autem Epistolæ Rescriptum SSm̃i Dn̄i Nostri Pii PP. IX de eâ re adjectum reperies. Precor Deum interea, etc.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 15 Septembris 1846.

J. Ph. Card. FRANSONIUS, *Præfectus.*

JOANNES, Arch. Thessalonicensis, *Secretarius.*

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, HABITA DIE 13 SEPTEMBRIS 1846.

AD humillimas preces RR. PP. DD. Archiepiscopi Baltimorensis, et Episcoporum Diœcesum omnium Fœderatæ Americæ in Synodo sextâ Provinciali congregatorum, SSm̃us D. N. Pius divinâ Providentiâ PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propagandâ Fide Secretario, benignè in perpetuum concessit, ut tam Clerus sæcularis quam regularis omnium et singularum Fœderatarum Provinciarum diœcesum possit in officio et Missâ Conceptionis Bm̃æ Mariæ Virginis, tum die 8 Decembris et per Octavam, tum in Sabbatis per an-

num, ad verba *Conceptionis ejus* addere in Orationibus *Immaculatæ;* item in Præfatione dicere *Conceptione Immaculatâ*, et per annum *Commemoratione Conceptionis Immaculatæ;* ac tandem in Litaniis ejusdem Bm̃æ Virginis Mariæ, ab omnibus fidelibus in præfatis diœcesibus degentibus addi possit ℣. *Regina sine labe Originali concepta, ora pro nobis.*

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die et anno quibus suprà.

JOANNES, Arch. Thessalonicensis, *Secretarius.*

BREVE EPISTOLARE

SS. DNI NOSTRI PII PP. IX AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

Venerabilibus Fratribus Samueli Eccleston, *Archiepiscopo Baltimorensi, ceterisque Episcopis in Fœderatæ Americæ Septentrionalis diœcesibus consistentibus:*

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

QUAS Baltimoro, Venerabiles Fratres, ad prædecessorem nostrum fel. rec. Gregorium XVI litteras scripseratis, cùm ad eumdem Concilii sexti Provincialis in illâ Civitate mense Maio anno 1846 habiti Acta et decreta examinanda ac probanda mit-

teretis, eæ redditæ nobis sunt non multò postquàm, Pontifice illo ad virtutum suarum præmium à Deo Optimo Maximo accipiendum vocato, nos, licèt immerentes, ad B. Petri cathedram evecti sumus.

Voluissemus quidem vobis sine morâ respondere; sed expectandum potiùs esse statuimus, ut primùm de rebus in memorato Concilio gestis Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Propagandæ Fidei præpositi, accuratam, ut assolet, pertractationem peragerent, nobisque de deliberatione idcircò ab iisdem institutâ deinde referrent.

Nunc verò cùm id effectum ritè fuerit, cumque ea omnia absoluta sint, quæ ad novas Sedes Episcopales, prout petistis, in regionibus istis constituendas, atque ad earumdem Præsulum electionem institutionemque faciendam necessariò requirebantur, scribendam vobis hanc epistolam existimavimus, ut animi nostri sensus vobis significaremus.

Scilicet lætamur plurimùm in Domino de incremento permagno quod apud vos Ecclesiam Catholicam in dies capere gaudentes testati estis. Gratulamur verò vehementer virtuti laboribusque vestris, qui propagandæ Religionis singulari studio animati, ad amplificandam magnam istam vineæ Domini partem, curam omnem ac pastoralem sollicitudinem contulistis. Speramus autem futurum ut uberiores quotidiè fructus ex præclarâ laborum vestrorum prosecutione percipiatis. Nos denique vobis apertè pollicemur, nihil unquam nos esse omissuros, quod vobis et Ecclesiæ causæ quam pertractatis, utilitati atque adjumento esse possit.

Interea, dum vos certiores facimus de Concilii à vobis habiti decretis per memoratam Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem

vobis mentem nostram erga vos in primis benevolam patefaciendam esse, Apostolicam benedictionem vobis ex animo peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, die 13 Junii 1847, Pontificatûs nostri anno primo.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

Illmẽ ac Revmẽ Domine,

ACTA et decreta sexti Concilii Provincialis ab Amplitudine tuâ et Episcopis Suffraganeis anno præterito habiti, ad hanc S. Congregationem perlata fuerunt; sed pluribus de causis, et præsertim gravitate rerum à Concilio pertractatarum, factum est ut responsio per quam mens S. Congregationis vobis innotesceret, ad hoc usque tempus differri debuerit. Pergrata quidem fuerunt emergentia ex Actis hujus etiam Concilii argumenta obsequii erga D. Petri Sedem, zeli pro animarum salute procurandâ, et divinâ gloriâ impensè promovendâ. Dignum verò vestrâ virtute fuit, qui Episcopali dignitate præditi estis, quòd tanto disciplinæ Ecclesiasticæ studio, tantâque erga Apostolicam Sedem observantiâ commendemini. Neque mirum proinde videri debet si ex hactenùs petitâ Sedium Episcopalium erectione, ex decretis conditis, et ex omnibus aliis in Conciliis Baltimorensibus antea gestis, tales fuerint in Americæ Fœderatæ Provinciis religionis progressus, ac tanto

splendore enituerit Cleri sollicitudo, atque Religiosa virorum et mulierum instituta tantoperè floruerint.

Ut hi fructus laborum quos unà cum dilectis utriusque cleri Presbyteris indefessè sustinetis copiosiores sint, atque ut plenitudo gratiarum cœlestium in omnes diœceses derivetur, Patres Concilii optimum consilium inivere implorandi peculiarem potentissimam SSm̃æ Dei Genitricis opem ac tutelam, atque SSm̃us Dn̄us Noster Pius PP. IX electionem à Concilio factam ejusdem Bm̃æ Virginis sine labe originali conceptæ in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum libentissimè confirmavit. Adjectum habetur de eâ re decretum à SSm̃o Dn̄o approbatum.

Libellum supplicem quo petebatur ut Episcopis in posterum promovendis liceret juramentum juxta formulam à Concilio propositam emittere, S. Congregatio attentè consideravit, et SSm̃us Dn̄us Noster eamdem formulam benignè approbans, ab Episcopis ad Sedes Americæ Fœderatæ promovendis servari jussit.

Ex adjectis pluribus SSm̃i Dn̄i Nostri litteris Apostolicis intelligetis Sanctitatem Suam novarum Sedium Episcopalium* erectioni à vobis propositæ as-

*Nempe *Albany*, *Buffalo* et *Cleveland*. Albanensis Diœcesis eos habet fines à Septentrione et Oriente, quibus ipse Status Novi-Eboraci includitur: à Meridie, lineam habent latitudinis Septentrionalis quadragesimam secundam; denique, Occidentem versùs, perveniunt usque ad limitem Orientalem Comitatuum *Cayuga*, *Tompkins* et *Tioga*.

Diœcesis *Buffalo* comprehendit omnem illam Statûs Novi-Eboraci partem quæ, ad Occidentem, limitibus Orientalium Comitatuum *Cayuga*, *Tompkins* ac *Tioga*, et consuetis finibus Statûs Neo-Eboraci constituitur.

Diœcesis *Cleveland* complectitur omnem illam Statûs Ohiensis partem quæ, ad Septentrionem, ad lineæ latitudinis Septentrionalis gradum quadragesimum, et quadragesimum-primum minutum jacet.

sensam esse, et dignos Episcopatu eos reputasse qui à vobis commendati sunt.†

S. Congregatio censet plurimùm commendari debere eam sollicitudinem quam Episcopi Concilii ostenderunt de qualitatibus tanto gradu dignis in illis requirendis, qui Episcopi faciendi sunt, cùm nemini dubium esse possit quin Fideles ad pietatem et ad alia religionis officia alliciantur, si eorum pastores necessariis ornamentis præditos esse constet. Inter qualitates verò in Episcopis requirendas, locum certè tenet scientia linguæ, quâ utuntur Fideles quibus iidem præesse debent. Itaque, cùm ingens sit numerus eorum qui ex Germaniâ quotannis migrant ut in Fœderatis Provinciis sedem sibi domiciliumque constituant, dabitis operam in posterum ut S. Congregationi Presbyteros quos reperiri licebit linguæ Germanicæ peritiâ præditos, pro iis diœcesibus eligendos curetis, in quibus populus ex Germaniâ profectus reperiatur. Illud etiam providendum est ut Presbyteri in iis diœcesibus non desint, qui Germanicam linguam calleant, quò possint fructuosè prædicare, et sacramentum pœnitentiæ Germanis ritè utiliterque ministrare.

Inter Decreta Concilii, unum invenitur quod ad proclamationes matrimonio præmittendas spectat, et rectè ac laudabiliter Patres statuerunt legis istius observantiam esse præscribendam, quam Ecclesia sæpenumero commendavit, et Episcoporum assidua vigilantia urgendam curavit; siquidem hoc remedium efficacissimum est, ut malis quæ orirentur ex matrimoniis nimis præcipitanter vel cum existentiâ alicu-

†Sedes Episcopalis *Albany* Revmo D. Joanni McCloskey; Sedes *Buffalo* Rev. D. Joanni Timon, C. M.; Sedes autem *Cleveland* Rev. D. Amedeo Rappe collata est.

jus impedimenti contractis succurri possit. Constat enim hanc legem fuisse eâ de causâ præscriptam ut scandalis occasio præcluderetur, et consuleretur legum ab Ecclesiâ de matrimonio conditarum custodiæ ac sanctitati. Quapropter, cùm cautelæ loco et veluti prudentiæ remedium hæc bannorum publicatio haberi debeat, nulla ratio satis firma videtur obesse, quominùs proclamationes, etiam quando agitur de matrimoniis mixtis, fiant; quæ tamen matrimonia nullo adhibito religioso ritu celebrari oportet.

Hæc Amplitudini tuæ et Episcopis tecum unà in Concilio congregatis, nomine S. Congregationis habui significanda. Atque hanc nactus occasionem, debitas laudes tibi tribuendas censui ob zelum illum perspicuum ab Amplitudine tuâ præsertim exhibitum, cui peculiari ratione Conciliorum Baltimorensium celebratio hactenùs facta, et secundùm canonum præscripta ritè curata, referri debet. Precor Deum interea, etc.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 3 Julii 1847.

J. Ph. Card. FRANSONIUS, *Præfectus.*

J. B. Palma, *S. Congreg. Officialis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, DE CONFIRMATIONE DECRETORUM CONCILII.

CUM ad S. Congregationem delata fuissent Acta et Decreta Concilii Provincialis sexti Baltimorensis, mense Maio anno 1846 celebrati, unà cum Epistolâ R. P. D. Samuelis Eccleston Archiepiscopi Baltimorensis, et ceterorum Episcoporum ad sac. mem. Gregorium PP. XVI scriptâ, quâ eorumdem actorum et decretorum Concilii approbatio petebatur, cumque eadem maturè examinata à S. Congregatione fuissent, et perpensum præterea esset quantùm ad religionis decus tuendum et promovendum, ad animarum salutem procurandam, et ad debitum honorem Episcopis et Clero sæculari et regulari Fœderatarum Americæ Provinciarum impensiùs conciliandum, ex Concilii ejusdem celebratione, ex numero Episcoporum qui illi interfuerunt, et ex rerum in eo tractatarum gravitate posset proficisci; Emi ac Revmi Patres in generali Conventu de Propagandâ Fide, habito die 25 Januarii anno 1847, referente Emo ac Revmo D. Jacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransonio, S. Congregationis Præfecto, eadem plurimis laudibus cumulantes, et summoperè commendantes, censuerunt supplicandum esse SSmo Dño Nostro ut memorata Decreta Concilii Provincialis sexti Apostolicâ auctoritate sancire et approbare dignaretur.

Quam S. Congregationis sententiam ab R. P. D. Joanne Brunelli, Archiepiscopo Thessalonicensi, et ejusdem S. Congregationis Secretario, relatam in

audientiâ die 7 Februarii 1847 habitâ, SSm̃us Dn̄us Noster Pius divinâ Providentiâ PP. IX benignè probavit in omnibus, et Decreta, de quibus sermo est, Apostolicâ confirmatione munita, in diœcesibus Americæ Fœderatarum Provinciarum servari præcepit.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 2 Julii anno 1847.

J. Ph. Card. FRANSONIUS, *Præfectus.*

J. B. Palma, *S. Congreg. Officialis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE, QUO DEIPARA VIRGO, SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA, SEPTENTRIONALIS AMERICÆ FŒDERATÆ PROVINCIARUM PATRONA INSTITUITUR.

CUM R. P. D. Archiepiscopus Baltimorensis ejusque Suffraganei Episcopi Concilium sextum Provinciale mense Maio anno 1846 celebrantes, supplices petiissent ut à S. Sede approbaretur electio quam ipsi in Concilio fecerunt Bm̃æ Mariæ Virginis sine labe originali conceptæ in Patronam Septentrionalis Americæ Fœderatæ Provinciarum, nullâ tamen inductâ obligatione audiendi Missam et à servilibus operibus abstinendi in ipso festo die Conceptionis Bm̃æ Mariæ, atque ita ut ea solemnitas, nisi festum in Dominicam inciderit, transferri debeat in Dominicam proximè sequentem, in quâ Missæ tam privatæ quam solemnes, de festo illo translato celebrentur, Vespertinumque officium de eodem recitetur; Em̃i ac

Revmi Patres in Congregatione Generali de Propagandâ Fide, habitâ die 25 Januarii anno 1847, referente Emo ac Revmo D. Jacobo Philippo S. R. E. Presbytero Cardinali Fransonio, S. Congregationis Præfecto, censuerunt supplicandum SSmo Dño Nostro ut pientissimis Concilii votis annuere dignaretur.

Hanc verò S. Congregationis sententiam ab R. P. D. Joanne Brunellio, Archiepiscopo Thessalonicensi, S. Congregationis Secretario, SSmo Dño Nostro relatam in audientiâ die 7 Februarii 1847 habitâ, SSmus Dñus Noster Pius divinâ Providentiâ PP. IX benignè probavit in omnibus, decreto sa. me. Urbani PP. VIII super electione Patronorum, et aliis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 2 Julii anno 1847.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præfectus.*
J. B. Palma, *S. Congregat. Officialis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS RITUUM DE QUIBUSDAM REGULIS IN CELEBRANDA SOLEMNITATE IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. V. M. SERVANDIS.

UNUS ex Directoribus Seminarii S. Mariæ Baltimorensis, cui demandata est cura disponendi Ordinem divini Officii pro quibusdam diœcesibus in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis, S. Rituum Congregationi sequentia dubia proposuit, nimirum:

1. Utrùm Missæ tam privatæ quam solemnes de festo Conceptionis ceu Patronæ Provinciarum Septentrionalis Americæ Fœderatæ, celebrandæ Dominicâ immediatè sequenti, ex Indulto SS. Dñi Nostri Pii IX, dicendæ sint more votivo, ita ut in fine dicatur Evangelium S. Joannis?

2. An in iisdem Missis, de Simplici occurrente facienda sit commemoratio?

Et S. Rituum Congregatio respondendum censuit:

Ad 1. Prædictas Missas, posito citato Indulto peculiari, celebrandas esse more festivo cum *Gloria*, *Credo*, et commemorationibus occurrentibus in lectis (seu privatis) Missis, et Dominicæ tantùm in solemni, cum Evangelio Dominicæ.

Ad 2. Juxta exposita, esse faciendam commemorationem in Missis lectis tantùm. Die 10 Aprilis 1848.

BALTIMOREN.

Cum SSmus Dñus Noster Pius Papa Nonus, septimo idus Februarii superiore anno 1847, dignatus fuerit adprobare et confirmare electionem factam à Patribus Concilii Baltimorensis Provincialis sexti Beatæ Mariæ Virginis sine labe originali conceptæ in Patronam Septentrionalis Americæ Fœderatarum Provinciarum, nullâ tamen inductâ obligatione audiendi Missam, et à servilibus operibus abstinendi in ipso die festo Conceptionis Deiparæ, atque ita ut ea solemnitas transferri debeat in Dominicam proximè sequentem in quâ Vespertinum officium de festo illo translato celebretur; eumdem SSmum Dñum Nostrum humillimè supplicavit Director Seminarii S. Mariæ Baltimorensis, cui demandata est cura

componendi Ordinem divini officii, annuente etiam Rmo Archiepiscopo, quatenùs Vesperæ illâ Dominicâ sic decantatæ de festo Conceptionis, satisfaciant oneri diei, saltem pro iis qui choro intersunt. Sanctitas Sua, referente me subscripto Secretario, de speciali gratiâ benignè annuit juxta preces, non omissis tamen commemorationibus juxta Rubricas. Die 10 Aprilis 1848.

A. Card. LAMBRUSCHINI, *S. R. C. Præf.*
I. G. Fatati, *S. R. C. Secret.*

FORMULA JURAMENTI,

AB EPISCOPIS AD SEDES AMERICÆ FŒDERATÆ PROMOVENDIS, EX INDULTO APOSTOLICO, EMITTENDA.

EGO N. electus Ecclesiæ N. ab hac horâ in antea obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Beatissimo Patri N. Papæ N. suisque successoribus canonicè intrantibus. Papatum Romanum adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine. Jura, honores, privilegia et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Papæ, et successorum prædictorum, conservare, defendere, promovere curabo. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, et mandata Apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Vocatus ad synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Apostolorum limina singulis decenniis personaliter per me ipsum visitabo; et Beatissimo Patri Nostro

N. ac successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quàm diligentissimè exequar. Quòd si legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, diœcesanum sacerdotem, vel per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem, spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plenè instructum.

Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quâdam super hoc editâ constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versâ, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo dicente:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non priùs, dicit Consecrator: Deo gratias.

CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE VII,

HABITUM

ANNO 1849.

CONCILIUM PROVINCIALE VII,

BALTIMORI HABITUM MENSE MAIO,

ANNO 1849.

ACTA CONCILII.

LITTERIS convocationis ab Illmo ac Revmo Archiepiscopo Baltimorensi die 23 Septembris 1848 datis, Baltimori mense Maio 1849 convenerunt Præsules quorum nomina infrà memorantur:

Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis;

Illmus ac Revmus D. Petrus Riccardus Kenrick, Archiepiscopus S. Ludovici;

Illmus ac Revmus D. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis;

Illmus ac Revmus D. Franciscus Patritius Kenrick, Episcopus Philadelphiensis;

Illmus ac Revmus D. Joannes Baptista Purcell, Episcopus Cincinnatensis;

Illmus ac Revmus D. Antonius Blanc, Episcopus Neo-Aurelianensis;

Illmus ac Revmus D. Mathias Loras, Episcopus Dubuquensis;

Illmus ac Revmus D. JOANNES HUGHES, Episcopus Neo-Eboracensis;

Illmus ac Revmus D. RICCARDUS PIUS MILES, Episcopus Nashvillensis;

Illmus ac Revmus D. JOANNES JOSEPH CHANCHE, Episcopus Natchetensis;

Illmus ac Revmus D. RICCARDUS VINCENTIUS WHELAN, Episcopus Richmondensis;

Illmus ac Revmus D. PETRUS PAULUS LEFEVERE, Episcopus Zelanus *in part.* et diœcesis Detroitensis Administrator;

Illmus ac Revmus D. JOANNES MARIA ODIN, Episcopus Galvestonensis;

Illmus ac Revmus D. MICHAEL O'CONNOR, Episcopus Pittsburgensis;

Illmus ac Revmus D. JOANNES MCCLOSKEY, Episcopus Albanensis.

Illmus ac Revmus D. GULIELMUS TYLER, Episcopus Hartfordensis;

Illmus ac Revmus D. IGNATIUS ALOYSIUS REYNOLDS, Episcopus Carolopolitanus;

Illmus ac Revmus D. JOANNES MARTINUS HENNI, Episcopus Milwauchensis;

Illmus ac Revmus D. JOANNES BERNARDUS FITZPATRICK, Episcopus Bostoniensis.

Illmus ac Revmus D. AMEDEUS RAPPE, Episcopus Clevelandensis;

Illmus ac Revmus D. JOANNES TIMON, Episcopus Buffalensis;

Illmus ac Revmus D. MARTINUS JOANNES SPALDING, Episcopus Lengonensis *in part.* et Coadjutor Episcopi Ludovicopolis;

Illmus ac Revmus D. MAURITIUS DE ST. PALAIS, Episcopus Vincennensis;

Illmus ac Revmus D. JACOBUS OLIVARIUS VANDEVELDE, Episcopus Chicaginensis.

Aberat Illmus ac Revmus D. ANDREAS BYRNE, Episcopus *Little-Rock*.

CONVENTUS PRÆPARATORIUS.

DIE Maii quintâ anni 1849, convocatis Illmis ac Revmis Præsulibus, supra memoratis, in ædibus Illmi ac Revmi D. Archiepiscopi, Officiales Concilii, proponente Illmo ac Revmo D. Archiepiscopo Baltimorensi, ceterisque Patribus assentientibus, electi sunt, nimirum:

Illmi ac Revmi DD. MICHAEL PORTIER et JOANNES J. CHANCHE, Promotores;

Reverendi DD. JOANNES BAPTISTA LUDOV. EDUARDUS DAMPHOUX, S. T. D. et FRANCISCUS LHOMME, Secretarii;

Rev. D. F. LHOMME et Magister FRANCISCUS EDUARDUS BOYLE, Magistri Cæremoniarum;

Rev. DD. LUDOVICUS GILLET, O. SS. R. et GULIELMUS D. PARSONS, Cantores.

THEOLOGI consultores admissi sunt spectatissimi Sacerdotes infrà nominati, videlicet:

Admodùm Reverendus D. LUDOVICUS R. DELUOL, S. T. D. Vicarius Generalis Diœcesis Baltimorensis, et Rector Seminarii S. Mariæ Baltimorensis;

Admodùm Rev. D. MARIANUS MALLER, Superior Congregationis Missionis in Fœderatis Americæ Statibus;

Admodùm Rev. D. BONIFACIUS WIMMER, Superior Ordinis S. Benedicti in Fœderatis Americæ Statibus;

Admodùm Rev. D. Joseph S. Alemany, Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Fœderatis Americæ Statibus;

Admodùm Rev. D. Joannes P. O'Dwyer, Commissarius Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini in Fœderatis Americæ Statibus;

Admodùm Rev. D. Ignatius Brocard, Provincialis Societatis Jesu in Provinciâ Marylandensi;

Admodùm Rev. D. Joannes Antonius Elet, Vice-provincialis Societatis Jesu in Vice-provinciâ Missurianâ;

Admodùm Rev. D. Clemens Boulanger, Superior generalis Missionum Societatis Jesu, ad Provinciam Parisiensem in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus pertinentium;

Admodùm Rev. D. Bernardus Hafkenscheid, Provincialis Congregationis SS. Redemptoris in Fœderatis Americæ Statibus;

Rev. D. G. Raymond, S.T. D.
Rev. D. Carolus I. White, S. T. D.
Rev. D. Henricus B. Coskery,
} Theologi Ecclesiæ Metropolitanæ Baltimorensis.

Rev. DD. Simon A. Paris et Thomas Foley ab Archiepiscopo S. Ludovici designati Theologi;

Rev. D. Joannes Maria Portier ab Episcopo Mobiliensi adductus Theologus;

Rev. D. Thaddæus Amat, C. M. ab Episcopo Philadelphiensi adductus Theologus;

Rev. DD. Jacobus F. Wood et Gulielmus Unterthiner, O. F. M. ab Episcopo Cincinnatensi adducti Theologi;

Rev. DD. Adrianus Rouquette et Joannes McCaffrey ab Episcopo Neo-Aurelianensi adducti Theologi;

Rev. D. Antonius Pelamourgues ab Episcopo Dubuquensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. DD. Joannes Loughlin et Joannes Raffeiner ab Episcopo Neo-Eboracensi adducti Theologi;

Rev. D. Joannes P. Donelan, ab Episcopo Nashvillensi designatus Theologus;

Rev. D. Joannes Hickey, ab Episcopo Natchetensi designatus Theologus;

Rev. D. Timotheus O'Brien, ab Episcopo Richmondensi adductus Theologus;

Admodùm Rev. D. Petrus Kindekens ab Episcopo Zelano adductus Theologus;

Rev. D. Augustinus Verot, ab Episcopo Galvestonensi designatus Theologus;

Rev. D. Jacobus O'Connor ab Episcopo Pittsburgensi adductus Theologus;

Rev. D. Gulielmus Starrs ab Episcopo *Little-Rock* adductus Theologus;

Rev. D. Joannes J. Conroy ab Episcopo Albanensi adductus Theologus;

Rev. D. Jacobus Fitton, ab Episcopo Hartfordensi adductus Theologus;

Rev. D. Jacobus Ryder, S. J. ab Episcopo Carolopolitano adductus Theologus;

Rev. D. Michael Heiss, ab Episcopo Milwauchensi adductus Theologus;

Rev. D. Thomas Connolly ab Episcopo Bostoniensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes B. Randanne, ab Episcopo Clevelandensi designatus Theologus;

Admodùm Rev. D. Bernardus O'Reilly ab Episcopo Buffalensi adductus Theologus;

Rev. D. Gulielmus Elder, S. T. D. ab Episcopo Lengonensi adductus Theologus;

Rev. D. Joannes Corbe ab Episcopo Vincennensi adductus Theologus;

Rev. D. Carolus C. Pise, S. T. D. ab Episcopo Chicaginensi adductus Theologus;

SESSIO PRIMA.

Dominica quartâ post Pascha, in quam hoc anno incidit festum S. Joannis Ap. ante Portam Latinam, die scilicet sextâ Maii, Sessio prima habita est in Ecclesiâ Metropolitanâ Baltimorensi, hoc modo:

Horâ decimâ A. M. post solemnes supplicationes ab ædibus Archiepiscopalibus, Missa solemniter celebrata est ab Illmo ac Revmo D. Samuele Eccleston, Archiepiscopo Baltimorensi; et post concionem ab Illmo et Revmo D. Petro Riccardo Kenrick, Archiepiscopo S. Ludovici, apertum est Concilium juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, emissâ fidei professione ab Illmis ac Revmis DD. Amedeo Rappe, Episcopo Clevelandensi; Joanne Timon, Episcopo Buffalensi; Martino J. Spalding, Episcopo Lengonensi *in part.* et Coadjutore Episcopi Ludovicopolitani; Mauritio de Saint-Palais, Episcopo Vincennensi, et Jacobo O. Vandevelde, Episcopo Chicaginensi, qui primâ vice Concilio intererant.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis. Aderant autem Illmi et Revmi DD. Archiepiscopus S. Ludovici, et Episcopi suprà memorati, cum Reverendis DD. Officialibus Concilii et Theologis.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 7 Maii, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis: aderant Illmi ac Revmi DD. Archiepiscopus S. Ludovici et Episcopi suprà memorati, cum Secretariis.

De novis Archiepiscopalibus Sedibus erigendis, et de Diœcesibus unicuique Provinciæ assignandis, actum est.

Statutum est supplicandum Summo Pontifici ut sequentes Sedes Episcopales ad Metropolitanam dignitatem, quibus adsignentur Suffraganei infrà memorati, Apostolicâ auctoritate evehantur, nempe:

1. Sedes Neo-Aurelianensis, cui subjecti sint Episcopi Mobiliensis, Natchetensis, *Little-Rock* et Galvestonensis;

2. Sedes Cincinnatensis, quæ Suffraganeos habeat Episcopos Ludovicopolitanum, Detroitensem, Vincennensem et Clevelandensem;

3. Sedes Neo-Eboracensis, cujus Suffraganei erunt Episcopi Bostoniensis, Hartfordensis, Albanensis et Buffalensis;

4. Ut Ecclesiæ Metropolitanæ S. Ludovici Suffraganei adsignentur Episcopi Dubuquensis, Nashvillensis, Chicaginensis et Milwauchensis.

5. Censuerunt Patres unanimiter preces Summo Pontifici porrigendas ut Sedes Metropolitana Baltimorensis Primatûs honore gaudeat, cui Sedes omnes, tam Metropolitanæ quàm Episcopales in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus et Territoriis subjaceant; cujus autem Suffraganei erunt Episcopi

Philadelphiensis, Carolopolitanus, Richmondensis et Pittsburgensis.

Deinde consenserunt Patres de Nationali Concilio Baltimori anno 1852, si Sanctæ Sedi visum fuerit, celebrando.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

Die 7 Maii, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illmus ac Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis: aderant Episcopi suprà memorati, Secretarii et Theologi.

Invocatâ S. Spiritûs assistentiâ per Ant. *Veni sancte Spiritus, etc.* Revmus D. Archiepiscopus plurium Theologorum sententias circa Immaculatam Bmæ Virginis Mariæ Conceptionem exquisivit; quâ scilicet devotione populus Fidelis erga illam sit animatus, quodnamque desiderium esse videatur ut ab Apostolicâ Sede, tanquàm Ecclesiæ Catholicæ doctrina definiatur ejusdem Bmæ Virginis Conceptionem ab Originali labe fuisse prorsùs immunem.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 8 Maii, habita est secunda Congregatio privata eodem loco, horâ et modo, quibus prima. Aderat Illmus ac Revmus D. Andreas Byrne, Episcopus *Little-Rock*, qui aperto jam Concilio advenit.

Patribus expedire visum est preces SS. Pontifici porrigendas ut nova Sedes Episcopalis erigatur in urbe *Savannah*, quæ ditione suâ complectatur Statum Georgiæ, necnon et Floridam usque ad flumen Apalichicolam.

Postulante Revmo D. Episcopo Neo-Eboracensi, censuerunt Patres supplicandum S. Sedi ut Coadjutor detur Revmo D. Gulielmo Tyler, Episcopo Hartfordensi, ob ejusdem valetudinem minùs firmam.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

Eodem die 8 Maii, habita est secunda Congregatio publica, ut heri.

Discussio scilicet quæstionum privatis Theologorum Congregationibus propositarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 9 Maii, habita est tertia Congregatio privata, ut heri.

Censuerunt Patres S. Sedi supplicandum ut nova Sedes Episcopalis Savannæh erigenda, Archiepiscopo Baltimorensi subjiciatur.

Revmus D. Archiepiscopus, probantibus Patribus, munus varias Epistolas scribendi demandavit Revmis Episcopis infrà memoratis, nempe:

Ad Summum Pontificem, latinè, Revmo D. Episcopo Pittsburgensi;

Ad clerum et populum, nomine Patrum Concilii, anglicè, Revmo D. Episcopo Philadelphiensi;

Ad Societatem de Propagandâ Fide Lugduni, gallicè, Revmo D. Episcopo Mobiliensi;

Ad Societatem Leopoldinam Viennæ, latinè vel germanicè, Revmo D. Episcopo Milwauchensi.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

Eadem die 9, habita est tertia Congregatio publica, ut heri.

SESSIO SECUNDA.

Die 10 Maii, horâ nonâ, post sacrosanctum Missæ Sacrificium pro Episcopis Fœderatæ Americæ Statuum, qui ab ultimo Concilio ad hanc usque diem è vitâ discesserunt, in Ecclesiâ Metropolitanâ à Revmo D. Episcopo Mobiliensi, altero ex Promotoribus Concilii, solemniter celebratum, concionem habuit Revmus D. Purcell, Episcopus Cincinnatensis: quâ finitâ, Absolutionem solemnem ad Castrum doloris fecit Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis. Deinde, postquàm Revmi DD. Episcopi pluviale induissent, habita est Sessio secunda, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

Eadem die 10, horâ quartâ P. M. habita est quarta Congregatio publica, in quâ Theologi, de more, retulerunt de quibusdam negotiis in Concilio tractandis, ipsorumque disquisitioni commissis.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 11 Maii, quarta Congregatio privata habita est eodem loco et horâ, quibus prima.

Revmo D. Archiepiscopo Baltimorensi proponente, unanimi Patrum acclamatione, statutum est

collectas in omnibus et singulis Fœderatorum Statuum Ecclesiis hoc anno esse faciendas die Dominicâ infra Octavam festi SS. Apostolorum Petri et Pauli, die scilicet 1 Julii; hancque Christifidelium gratiam Summo Pontifici transmittendam, in testimonium amoris ab observantissimis filiis oblatam optimo Patri tot tantisque procellis jactato, amaritudinibusque repleto.

Censuerunt Patres supplicandum S. Sedi, 1. pro erectione novæ Sedis Episcopalis in Oppido *Wheeling*, in Statu Virginiæ, quæ constet ex omni illâ ejusdem Statûs parte quæ ultra montes Alleghanios, Occidentem versùs jacet, incipiens à Comitatu *Randolph*, unà cum Comitatibus *Pocahontas*, *Greenbrier*, *Monroe*, *Giles*, *Montgomery* et *Floyd*, usque ad Comitatum *Carroll*, inclusivè.

2. Ut nova Sedes Episcopalis erigatur in Oppido S. Pauli, in Territorio *Minnesota*, quæ idem Territorium suâ ditione comprehendat.

3. Ut Vicarius Apostolicus pro Territorio Neo-Mexicano eligatur, qui Episcopali consecratione decoretur.

QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

Eadem die 11 Maii, horâ quartâ, habita est quinta Congregatio publica, ut heri.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Die 12 Maii, horâ nonâ, habita est quinta Congregatio privata.

Latum est Decretum 1, *De Americani cleri popu-*

lique fidelis devotione erga Immaculatam Bm̃æ Virginis Mariæ Conceptionem.

Decretum 2, *Quid scilicet sentiant Patres de Immaculatâ B. V. M. Conceptione definiendâ tanquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ*, latum est, uno ex Patribus, nempe Revm̃o D. Episcopo Richmondensi, dissentiente.

Deinde lata sunt Decreta 3, 4 et 5.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eadem die 12, horâ quartâ P. M. habita est sexta Congregatio privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Statuerunt Patres supplicandum S. Sedi, 1. ut nova Diœcesis in *Wheeling* erigenda, ad Provinciam Baltimorensem pertineat; Diœcesis autem S. Pauli, in Territorio *Minnesota*, Metropolitæ S. Ludovici subdita sit.

2. Ut Territorium in Fœderatis Statibus, Orientem versùs Saxosorum Montium (*Rocky-Mountains*) jacens, nec intra limites Statuum *Arkansas*, *Missouri*, *Iowa*, nec in Territorio *Minnesota* inclusum, in Apostolicum Vicariatum erigatur.

Visum est Patribus expedire ut ad summum Pontificem scribatur de novis Sedibus Archiepiscopalibus et Episcopalibus erigendis, idque negotii datum est Revm̃o D. Episcopo Natchetensi.

Deinde latum est Decretum 6.

Postquàm Revm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis abscessisset, Revm̃o D. Archiepiscopo S. Ludovici præsidente, alteroque ex Promotoribus proponente, statutum est gratias quamplurimas, nomine Concilii, Revm̃o D. Baltimorensi Archiepiscopo agendas pro humanitate, comitate et hospitalitate,

quas durante Concilio Patribus exhibuit, necnon et dignitate ac sapientiâ quibus eorum deliberationibus præfuit.

Demùm Revmo D. Portier, Episcopo Mobiliensi, à Patribus cura demandata est ad Summum Pontificem deferendi hujus Concilii Acta et Decreta; cui simul significet quàm vehementer animo angantur Americani Præsules de ipsius ærumnis ac exilio, quippe qui doleant de atrocissimis injuriis S. Sedi Apostolicæ irrogatis, tanquàm sibimet ipsis in personâ supremi omnium Pastoris illatis, seque toto corde Deum precari ut respiciat in Christum suum, ac tot tantisque malis mederi dignetur.

Rogatus est etiam idem Revmus D. Portier ut, nomine Patrum Concilii, gratias agat Societati de Propagandâ Fide Lugduni pro hactenùs collatis donis et beneficiis, ejusdemque Societatis Moderatoribus exponat quot et quanti utilitatis fructus ex hujusmodi beneficiis jam percepti sint, et in futurum sint certè percipiendi.

SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

Dominica quintâ post Pascha, die 13 Maii, horâ verò 10 A. M. post Missam solemnem à Revmo D. Archiepiscopo Baltimorensi celebratam, concionem habuit Revmus D. Episcopus Neo-Eboracensis. Tum aperta est Sessio tertia et ultima, servatisque omnibus quæ in Pontificali Romano et Cæremoniali pro hisce Provinciis approbato præscribuntur, ritè perfecta est et absoluta.

Ed. Damphoux, S. T. D. *Secr.*
Fr. Lhomme, *Secr.*

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Soli sapienti Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.

Chorus. Honor et gloria in sæcula sæculorum. Deus Optimus Maximus, qui cœpit in nobis opus bonum, et incrementum dedit, ipse perficiat.

Archid. Beatissimæ Virgini Mariæ, sine labe originali conceptæ, harum Provinciarum Patronæ, honor æternus.

Chorus. Honor æternus: fecit ei magna qui potens est, ideoque beatam dicant eam omnes generationes.

Archid. Beatissimo Pio Papæ et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et diuturna prosperitas.

Chorus. Impleat Dominus omnes petitiones Sanctissimi Patris, et ita omne consilium ejus adversùs inimicos Christi confirmet, ut ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus, deficiant.

Archid. Venerabilis Gregorii Decimisexti animæ pax in Domino, et æterna felicitas in luce sanctorum.

Chorus. Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est.

Archid. Revm̃o Dño Archiepiscopo Baltimorensi, hujus Concilii præsuli, cum multis annis magnæ gratiæ.

Chorus. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat ei, et eum in multos annos Ecclesiæ suæ conservet.

Archid. Revm̃is Dñis Episcopis, qui in hoc Concilio convenerunt, magnæ gratiæ, et felix ad Ecclesias suas reditus.

Chorus. Deus mittat eis auxilium de sancto, et de Sion tueatur eos.

Archid. Episcopis et Presbyteris harum Provinciarum, qui bonum certamen certantes, obdormierunt in Domino, sors inter sanctos.

Chorus. Reddat illis Dominus pro operibus ipsorum, et plenam mercedem recipiant à Domino Deo.

Archid. Fidelibus Provinciarum nostrarum, universoque populo Christiano, pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

Chorus. Benedictio Dei super eos: ut quâlibet perturbatione submotâ, quietam et tranquillam vitam agentes, liberis mentibus Domino deserviant.

Archid. Nos autem, ad diversa licèt loca discedentes, occurramus tamen omnes in unitatem fidei; ut unanimes, idem sapientes, eamdem charitatem habentes, ad omne opus bonum parati, promissam Fidelibus servis mercedem consequamur.

Chorus. Amen, amen.

DECRETA CONCILII.

I. PERLECTIS litteris Encyclicis Summi Pontificis Pii IX, quibus significavit se vehementer optare ut Episcopi totius Catholici orbis per litteras ipsi referrent quâ devotione clerus populusque fidelis erga Immaculatæ Virginis Conceptionem sint animati; Patribus omnibus visum est respondere clerum populumque fidelem, in Fœderatis Americæ Statibus, magnâ flagrare erga eamdem devotione.

II. Censuerunt pariter Patres Summo Pontifici significandum, gratum sibi fore ut veluti Catholicæ Ecclesiæ doctrinam definiat, si id sapientissimo suo judicio opportunum existimet, Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptum Immaculatum omninò fuisse, atque ab omni prorsùs Originalis culpæ labe immunem.

III. Visum est Patribus Sacerdotum ad Episcopalem dignitatem evehendorum commendationem faciendam esse juxta morem jam ab Apostolicâ Sede sancitum: Archiepiscopo tamen Provinciæ ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, Sacerdotum qui proponuntur commendationem ad ceteros Archiepiscopos transmittente, qui Sanctæ Sedi suam sententiam aperient de Sacerdotibus sic commendatis.*

IV. Statuerunt Patres Ecclesias omnes, ceteraque bona Ecclesiastica, quæ vel dono, vel Fidelium oblationibus acquisita, in charitatis vel religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere; nisi appareat, scriptoque constet, illa Ordini alicui Regulari, vel Sacerdotum Congregationi, in ipsorum usum, tradita fuisse.

V. Statuunt Patres nullum harum Provinciarum Sacerdotem, ad aliam diœcesim transire volentem, à proprio Episcopo dimittendum, nisi certò constet eum ab alio Episcopo esse recipiendum. Si qui autem in posterum aliter dimissi fuerint, non recipiantur.

VI. Strictè prohibemus ne Sacerdotes matrimoniis eorum qui jam ab acatholico Ministro vel conjuncti sunt, vel conjungi volunt, interesse præsumant.

* S. Congregationis de Propagandâ Fide Decretum de eâ re reperietur infrà.

VII. Peroptandum videtur Patribus, quò meliùs et faciliùs religionis commodis et utilitati in hisce Provinciis consulatur, ut Nationale Concilium, Apostolicæ Sedis auctoritate, anno 1850 Baltimori habeatur.*

† Ego Samuel, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Riccardus, *Archiep. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Patritius, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Episc. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego Mathias, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Pius, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Joseph, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego Riccardus Vincentius, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Paulus, *Episc. Zelanus, Coadjutor Administrator Detroitensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Maria, *Episc. Galvestonensis, definiens subscripsi.*

* Huic Patrum voto SS̃mus Dñus Noster benignè annuit, indulsitque ut anno 1852 Nationale Concilium Baltimori celebretur. Suo verò tempore, litteræ Apostolicæ tradentur cum designatione etiam personæ quæ, nomine S. Sedis, Nationalis Concilii præsidentiam gerat.

† Ego Michael, *Episc. Pittsburgensis, definiens subscripsi.*

† Ego Andreas, *Episc. Petriculæ, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Albanensis, definiens subscripsi.*

† Ego Gulielmus, *Episc. Hartfordensis, definiens subscripsi.*

† Ego Ignatius Aloysius, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Martinus, *Episc. Milwauchensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Bernardus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Amedeus, *Episc. Clevelandensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Buffalensis, definiens subscripsi.*

† Ego Martinus Johannes, *Episc. Lengonensis, et Coadj. Epi Ludovicopolitani, definiens subscripsi.*

† Ego Mauritius, *Episc. Vincennensis, definiens subscripsi.*

† Ego Jacobus Olivarius, *Episc. Chicaginensis, definiens subscripsi.*

PETITIO

PRO NOVIS SEDIBUS ARCHIEPISCOPALIBUS ERIGENDIS.

Beatissime Pater,

ARCHIEPISCOPI et Episcopi Fœderatarum Septentrionalis Americæ Provinciarum, in Concilio congregati, ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti, humiliter deprecantur ut infrà memoratæ Episcopales Sedes ad Metropolitanam dignitatem, quibus adsignentur Suffraganei mox recensendi, Apostolicâ auctoritate evehantur, nempe:

I. Sedes Neo-Aurelianensis, cui subjecti sint Episcopi Mobiliensis, Natchetensis, *Little-Rock* et Galvestonensis.

II. Sedes Cincinnatensis, quæ Suffraganeos habeat Episcopos Ludovicopolitanum, Detroitensem, Vincennensem et Clevelandensem.

III. Sedes Neo-Eboracensis, cujus Suffraganei sint Episcopi Bostoniensis, Hartfordensis, Albanensis et Buffalensis.

IV. Ut Ecclesiæ Metropolitanæ S. Ludovici Suffraganei adsignentur Episcopi Dubuquensis, Nashvillensis, Chicaginensis et Milwauchensis.*

V. Ut Sedes Metropolitana Baltimorensis Primatûs honore gaudeat†, cui Sedes omnes, tam Metro-

* Ex Sedibus Episcopalibus auctoritate Apostolicâ nuper erectis, Savannahensis et Wheelingensis ad Provinciam Baltimorensem pertinent; nova autem Ecclesia in Civitate S. Pauli de Minnesotâ constituta, Provinciæ S. Ludovici subjacet. De Ecclesiæ *Monterey*, in Californiâ, Suffragii jure nihil est immutatum.

† Quod ad Primatum attinet, S. Congregatio de Propagandâ Fide rescripsit nil adhuc hac de re fuisse constitutum, ac responsionem visam fuisse differendam.

politanæ quàm Episcopales in Fœderatis Americæ Septentrionalis Statibus et Territoriis, subjaceant: cujus Suffraganei erunt Episcopi Philadelphiensis, Carolopolitanus, Richmondensis et Pittsburgensis.

Baltimori, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO PATRI NOSTRO

PIO, DIVINA PROVIDENTIA, PAPÆ IX.

Beatissime Pater,

EX omnibus vastæ hujus regionis plagis in unum congregati, de iis deliberaturi quæ religionis progressum fovere vel confirmare possint, Deo imprimis gratias agimus pro tot ac tantis in nos Ecclesiasque nostras collatis beneficiis, quibus factum est ut et veræ religionis cognitio et pietas magis magisque in dies undique diffusæ sint.

Cùm autem convenimus, iis incumbentes quæ Ecclesiarum nostrarum necessitates flagitant, oculos in Te, Beatissime Pater, Te columen decusque nostrum, ab ipso rerum exordio intendimus; Te patrem et magistrum diligimus et veneramur; in periculis præsidium, in dubiis lumen, à Te qui universalis Ecclesiæ et pastor et doctor existis, expectamus. Quæ ergo decrevimus, Tibi et judicio tuo subjicimus, ut quæ in iis recta sunt confirmes, quæ deficiunt suppleas, si quæ minus accuratè ad canonum normam proposita

corrigas, et omnia conspirent ad nos Fidelesque nobis commissos in unum corpus Christi majori firmitate ædificandos, et Spiritus Domini magis magisque vim suam et vitam diffundat.

Ast quantus, heu! dolor animos nostros oppressit, cum Te jam exulare, et libertatem, si non ipsam vitam, fugâ servare eò actum meminimus, cùm ab omnibus animi grati tributum et amoris flagrantissimi sensus Tibi proferre gestiendum fuisset.

Nos ipsi et Fideles nostri, imò omnes hujus regionis incolæ, mirati sumus benignitatem, clementiam et sapientiam, quarum ab ipso pontificatûs tui initio tam luculenta argumenta exhibuisti. Omnibus videre licuit, sicut et prioribus sæculis, ita et nunc quoque in maximis periculis Petri Sedem firmissimum societatis humanæ præsidium et auxilium existere. Firmitas enim illa, quam Christus Dominus Ecclesiæ supra Petrum tanquàm immobile fundamentum innixæ concessit, iis etiam humanis institutis cum quibus conjuncta existit aliquo modo communicari videtur. Sapientia pariter illa, quam Spiritus Domini in Ecclesiâ semper manens iis ingerit per quos corpus Christi regitur, radios suos undique emittit, et cùm alia obscura fiunt, tanquàm lux lucens in caliginoso loco errantes in portum reducit.

Tu, Beatissime Pater, inter principes primus, nullo cogente, sed proprio motu, ea concessisti instituta quæ, quamvis supremi gubernantis auctoritatem aliquantulùm minuant, tempestate nostrâ necessaria videbantur. Planè ostendisti quantus et quàm sincerus populorum amor in corde sacerdotali Pontificis ardeat, et telum eripuisti impiis qui patriæ amorem apud eos tantùm existere clamitabant, qui religionem et sacerdotium spernerent.

O utinam, Te duce, Te magistro, pro patriâ labores suos exantlassent illi, qui populorum amorem prætexebant! In religione, pietate, justitiâ actus, non vana sequens consilia, ea disponebas quæ absque dubio in bonum reipublicæ vertissent. Religionis autem osores, alia cogitantes, parricidas manus à Te vinculis solutas contra Te levare, atrocibus minis cor tuum terrere conari, et in ipso palatio tuo unctorum Domini sanguinem fundere non sunt veriti. Quamvis ergo amorem adhuc pro Te simularent, non sumus mirati Te apud alios incolumitatem quæsivisse quam filii ingrati denegabant.

Dolor Tibi ex his ortus noster quoque dolor est. Cor dilecti patris feriri nequit, quin filii quoque per orbem diffusi vulnus persentiant. Ex corde ergo intimo Tecum dolemus, et brevi fore confidimus ut, universo orbe plaudente, juribus Sedis tuæ vindicatis, in pristinam securitatem restituaris.

Dum autem cœlestia bona et supernas divitias ubique terrarum largiris, si ex animorum nostrorum et Fidelium hujus regionis sensibus judicium ferre licet, et honori et gaudio omnibus foret temporale subsidium, si opus esset, ad pedes Sanctitatis Tuæ projicere, et officia quæ Urbs ingrata denegat, orbis lætabundus tribueret.

Ut autem Apostolicam tuam benedictionem nobis, Ecclesiisque nostris concedas, ea quâ par est reverentiâ humiliter petimus.

Baltimori, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

AD SOCIETATEM LEOPOLDINAM.

Excellentissimo Principi VINCENTIO ODOARDO MILDE, *Vindobonensi Archiepiscopo, Leopoldinæ Institutionis dignissimo Præsidi, ceterisque sapientissimis ejusdem Institutionis Moderatoribus, atque universis per Austriacas ditiones Sociis munificentissimis; Archiepiscopi et Episcopi in Concilio Baltimorensi Provinciali Septimo congregati, salutem et gratias plurimas.*

DONA quæ plurimis abhinc annis, ex piæ Institutionis Leopoldinæ munificentiâ, sub auspiciis Amplitudinis tuæ ceterorumque Moderatorum, nobis transmissa fuerunt ad excolendam hanc novam vineæ Domini partem, magno quidem auxilio Americanam Ecclesiam juverunt, nec mediocrem consolationem percepimus ex uberrimis fructibus spiritualibus qui singulis annis inde exorti sunt, ad majorem Dei gloriam, atque salutem animarum quarum cura nobis est divinitùs commissa.

Non immeritò igitur timor mentes nostras nuper subiit, ne calamitates publicæ et dissidia quæ, inscrutabili Dei judicio, omnes ferè Christiani orbis partes, præsertim verò Austriacum Imperium conturbaverunt, hujus quoque piæ Institutionis fundamenta, cum magno nostrarum Missionum damno, quaterent, aut etiam funditùs everterent. Quapropter, memores, ut par erat, tot et tantorum beneficiorum in nos collatorum, non destitimus Deum optimum, Patrem misericordiarum, multis precibus obsecrare ut illos

ingentes procellarum fructus componere, pacemque desideratam, unà cum omnibus cœlestibus fructibus, largiri dignaretur; unde fieret ut omnes populi Christiani in Germaniâ, et ubique terrarum, tranquillam vitam agere, liberisque mentibus Domino deservire valerent. Has quidem nostras preces non omninò inanes fuisse confidimus: nam licèt violentissimæ illæ tempestates nondùm prorsùs resederint, vestra tamen Leopoldina Institutio, omni laude digna, post breve temporis intervallum, bonum suum opus iterùm aggredi et persequi, mirâ omnium admiratione et gaudio, decrevit. Profectò id certum est verè Christianæ charitatis pignus atque indicium, necnon et ardentis pro majore Dei gloriâ studii, quòd fratres nostri, inter tam multas ærumnas, nos et missiones nostras meminerint. Nos quoque vicissim illos, ut potè benefactores nostros, magno amore prosequimur, et tam teneris fraternæ charitatis affectibus complectimur, ut eorum mala tanquàm nostra doleamus, et sine intermissione divinam misericordiam ad subsidium opportunum obtinendum imploremus.

Interea, ad mutuam nostram consolationem, dicere mihi liceat majorem singulis annis spem effulgere quòd sanctissima fides nostra magis ac magis sit propaganda, veraque Dei Ecclesia in hisce regionibus stabilienda. Quotquot enim ad hoc Concilium celebrandum hìc convenerunt, unâ voce testificantur quàm copiosos fructus divina gratia jam in diversis hujus regionis Provinciis operata sit. Sed quamvis multa jam effecta sint, negari non potest plura adhuc superesse peragenda; novas scilicet diœceses erigendas, veteres augendas et confirmandas, novas ecclesias multis in locis ædificandas, Seminaria, Collegia et scholas pro piâ juventutis educatione, insti-

tuenda. Zelo igitur et pietate confisi tum dignissimi Præsidis, ceterorumque sapientissimorum Moderatorum, tum Sociorum omnium hujus tam eximiæ Institutionis, speramus fore ut, quemadmodum hucusque fuerunt, sic per multos adhuc annos futuri sint benefactores nostrarum diœcesum, et divinæ Providentiæ erga nos beneficiorum dispensatores.

Baltimori, die 13 Maii 1849.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

Illmæ ac Revmæ Domine,

SUPERVACANEUM arbitror immorari in causis enarrandis, ab quas tamdiù judicium de Concilio superiori anno habito fuerit dilatum: id enim ex gravissimâ tempestate quæ Romanam Ecclesiam afflixit repetendum Amplitudo tua ceterique Episcopi probè noscunt. Cùm verò S. Congregationi conventus de more suos iterùm celebrare licuit, curam adhibui ut de rebus in Synodo gestis, quamprimùm negotiorum moles permitteret, deliberatio institueretur. Accipe itaque S. Congregationis decretum à SSmo Dño Nostro probatum, quo Acta et Decreta prædicti Concilii VII Baltimorensis probantur et confirmantur: peculiari verò instructione ea declarare necesse fuit, quæ super iisdem Decretis animadvertenda visa sunt.

Erectio novarum Provinciarum, cum designatione Suffraganeorum tam pro novis Sedibus Archiepis-

copalibus quàm pro Archiepiscopali Sede S. Ludovici jam anteà erectâ, prout Episcopi suggerebant ac postulabant*, ex voto S. Congregationis, à SSmo Dño Nostro probata est, ac litteræ Apostolicæ Metropolitis traduntur.

Constitutæ pariter novæ Ecclesiæ in Savannahensi, Wheelingensi, ac S. Pauli de Minnesotâ Civitatibus†: cumque duæ priores Ecclesiæ ad istam Baltimorensem Provinciam pertineant, documenta Amplitudini tuæ traduntur, ut ad electos Episcopos perferenda cures. Idem verò censui præstandum de aliis litteris quæ respiciunt erectionem novorum Vicariatuum Apostolicorum, ut ad electos Antistites tutò perveniant.‡

Ad Provinciam pariter istam pertinent Episcopi Richmondensis, Pittsburgensis et Philadelphiensis: proinde litteras Apostolicas quibus presbyter Joannes McGill Episcopus Richmondensis constituitur, necnon decretum quo limites diœcesium Pittsburgensis et Philadelphiensis aliâ ratione, ex voto An-

* Vide suprà, 281.

† Diœcesis Savannahensis continet Statum Georgiæ et Floridam usque ad flumen Appalachicolam.

Diœcesis Wheelingensis constat ex omni illâ parte Statûs Virginiæ, quæ ultra montes Alleghanios Occidentem versùs jacet, incipiens à Comitatu *Randolph*, unà cum Comitatibus *Pocahontas*, *Greenbrier*, *Monroe*, *Giles*, *Montgomery* et *Floyd*, usque ad Comitatum *Carroll* inclusivè.

Diœcesis Richmondensis efformatur ex reliquâ parte Statûs Virginiæ.

Sedes Episcopalis S. Pauli de *Minnesota*, suâ ditione comprehendit Territorium *Minnesota*.

‡ Savannahensis Episcopus electus est Rev. D. Franciscus X. Gartland; Hartfordensis autem, Rev. D. Bernardus O'Reilly. Revmus D. R. V. Whelan ab Ecclesiâ Richmondensi ad Wheelingensem, suo rogatu, translatus est. Sedes Episcopalis S. Pauli de Minnesotâ Rev. D. Josepho Cretin collata est. Tandem Rev. D. Joannes Lamy ad Vicariatum Apostolicum *Santa-Fe*, in Territorio Mexicano, promotus est, Episcopali consecratione decorandus.

tistitum designantur, pariter Amplitudini tuæ tradendas duxi.

Quod demùm pertinet ad Ecclesiam de *Monterey* in Californiâ, jam certè innotuit novum illius Episcopum, R. P. D. Josephum Sadoc Alemany, Romæ consecrationem Episcopalem suscepisse: idem verò jam hinc est profectus ut suam petat Ecclesiam, de cujus suffragii jure nil est immutatum.

Superest ut Amplitudini tuæ singulare præbeam approbationis testimonium ob ea quæ pro Religionis incremento in Synodo gesta sunt. Si enim eo nomine omnes generatim Antistites qui participes illius extiterunt, commendandi videntur; tuâ certè imprimis operâ factum existimo ut, privatis studiis sepositis, maxima animorum consensio extiterit, atque utiliora pro Ecclesiâ Dei consilia omnibus facilè probata extiterint. Precor interim Deum ut te diù sospitem incolumemque servet.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 9 Augusti 1850.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præfectus.*
Al. Barnabo, *à Secretis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PRO ACTORUM ET DECRETORUM CONCILII VII APPROBATIONE.

Cum R. P. D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis, Acta et Decreta Concilii VII Provincialis Baltimorensis SSmo Dño

Nostro exhibenda curaverint, Eumque obsecraverint ut probare et confirmare eadem dignaretur; S. Congregatio de Propagandâ Fide, in generali conventu die decimâ Junii anni hujus habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto, omnibus maturè perpensis, censuit commendandam esse supradicti Archiepiscopi, necnon aliorum Præsulum agendi rationem, quâ unanimi studio pro Religionis incremento, atque Ecclesiasticâ disciplinâ meliùs in dies per illam regionem firmandâ adlaborarunt; decrevit insuper supplicandum Sanctitati Suæ, ut illorum precibus annuens, Decreta de quibus agitur, juxta instructionem per S. Congregationem tradendam, confirmare dignaretur. Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro relatam ab infrascripto pariter ejusdem Secretario, in audientiâ diei 16 ejusdem mensis, Sanctitas Sua benignè in omnibus probavit, et memorata Decreta ad normam supradictæ instructionis auctoritate suâ probavit, atque in diœcesibus Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis servari jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 10 Augusti 1850.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabo, *à Secretis.*

DECRETUM

CIRCA EPISCOPORUM ELECTIONEM.

S. Congregatio de Propag. Fide, die 14 Junii anni 1834, decretum edidit, quod incipit, *Cùm ad Religionis incrementum;* inscribitur verò, *De methodo servandâ in Episcoporum Diœcesum Fœdera-*

tarum Americæ Septentrionalis Provinciarum electione. (*Suprà*, 117.) Cùm verò deinde, Deo favente, Diœcesium numero per illam regionem aucto, Ecclesias, quæ antea uni Metropolitæ suberant, inter plures partiri necesse fuerit, aliquid supradicto decreto, seu instructioni, addendum visum est, ut commendatio Sacerdotum pro vacantibus Ecclesiis eâ ratione fiat, quæ cum novâ illarum partitione, ac Provinciarum statu cohæreat. Proinde S. Congregatio, in generali conventu die 10 mensis Junii anni hujus habito, referente infrascripto ejusdem Præfecto, omnibus maturè perpensis, ratione quoque habitâ voti eâ de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII Baltimorensi, decrevit ut in posterum, servatis quoad reliqua iis quæ in supradicto decreto continentur, Archiepiscopus Provinciæ, ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, commendationem Sacerdotum qui proponuntur, ad ceteros Archiepiscopos transmittat, qui S. Sedi suam sententiam de Sacerdotibus sic commendatis aperient.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 10 Augusti 1850.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*
Al. Barnabo, *à Secretis.*

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE CIRCA PHILADELPHIENSIS ET PITTSBURGENSIS DIŒCESEON FINES.

ANTISTITES Pittsburgensis et Philadelphiensis exposuerunt, in assignandis limitibus diœcesis Pittsburgensis, Pennsylvaniam Occidentalem ejus

Episcopo subjectam fuisse, Orientali parte Episcopo Philadelphiensi relictâ. (*Suprà*, 125.) Cùm verò limites illi haud certâ lege definiantur, postularunt ut Apostolicæ Sedis auctoritate decernantur, eamque ad id perficiendum magis opportunam rationem significarunt, ut Comitatus *Bedford*, *Huntingdon*, *Blair*, *Clearfield*, *Elk*, *McKean* et *Potter*, ceterique ex parte Occidentali includantur diœcesi Pittsburgensi; Comitatus verò reliquos ex parte Orientali Philadelphiensis Episcopus retineat. Cùm itaque eâ de re in generali conventu S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 10 Junii hujus anni habito, referente infrascripto ejusdem S. C. Præfecto, fuerit pertractatum; Emi ac Revmi Patres, omnibus maturè perpensis, habitâque præsertim ratione voti tum duorum Episcoporum, tum aliorum Antistitum qui Synodi VII Baltimorensis participes extiterant, SSmo Dño Nostro pro superiùs designatâ diœcesum Pittsburgensis et Philadelphiensis circumscriptione supplicandum decreverunt. Hanc verò S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Pio PP. IX ab infrascripto pariter Secretario relatam in audientiâ diei 16 Julii hujus item anni, Sanctitas Sua benignè probavit, ac supradictos duarum Ecclesiarum limites sancivit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propag. Fide, die 10 Augusti 1850.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabo, *à Secretis.*

FINIS.

NOMINA

EORUM QUI BALTIMORENSIBUS SYNODIS INTERFUERUNT.

A

PAGE

Alemany, Joseph S. . . . 266
Amat, Thaddæus 266
Ashton, Joannes 11

B

Badin, Stephanus T. . . . 127
Badin, Vincentius . . . 163
Baker, Riccardus S. . . . 209
Barry, Joannes . . . 163, 239
Bayer, Benedictus . . . 164
Beeston, Franciscus . . . 11
Blanc, Antonius 36, 124, 161, 209, 235, 263
Blenkinsop, Gulielmus, . . 210
Boarman, Sylvester, . . . 11
Bolton, Joannes 19
Bouillier, Joannes 163
Boulanger, Clemens . . . 266
Boyle, Franciscus E. . . 265
Brocard, Ignatius 266
Brute, Simon G. . . 36, 98, 124
Byrne, Andreas . 98, 236, 270

C

Carriere, Joseph 35
Carroll, Joannes . . . 11, 28
Carter, Carolus J. 238
Cerfoumont, Stanislaus . . 11
Chabrat, Guido I. 124, 209, 235
Chanche, Joannes J. 39, 97, 126, 163, 209, 235, 264

PAGE

Chazelle, Petrus 163
Cheverus, Joannes . . . 28
Clancy, Gulielmus . . . 124
Collins, Eduardus T. . . 238
Connolly, Thomas . . . 267
Conroy, Joannes J. . . . 267
Corbe, Joannes 268
Corry, Joannes. 239
Coskery, Henricus B. 163, 211, 238, 266
Czackert, Petrus, ... 238

D

Damphoux, Ed. 36, 97, 124, 162, 210, 236, 265
David, Joannes B. . . . 95
Debarth, Ludovicus . 36, 98, 127
Delavau, Ludovicus C. . . 11
Deluol, L. R. 36, 97, 124, 163, 210, 237, 265
Dolan, Jacobus 239
Donaghue, Terentius J. . . 211
Donelan, Jacobus B. . . . 162
Donelan, Joannes P. . . . 267
Dubois, Joannes 96
Dzierozynski, Franciscus . 35

E

Eccleston, Samuel 97, 124, 160, 208, 234, 263
Eden, Josephus 11

PAGE

Egan, Michael 28
Elder, Alexius J. 238
Elder, Gulielmus 268
Elet, Joannes A. 266
Elling, Gulielmus 11
England, Joannes 33, 95, 125, 161

F

Fenwick, Bened. . 34, 96, 124, 161, 208
Fenwick, Eduardus . . . 33
Fey, Joseph 211
Fitton, Jacobus 267
Fitzpatrick, Joannes B. 236, 264
Flaget, Benedictus J. 28, 33, 161
Fleming, Franciscus A. . 11
Foley, Thomas . . . 210, 266
Frambach, Jacobus . . . 11
Fredet, Petrus . . 97, 125, 162

G

Garnier, Antonius 11
Gildea, Joannes B. 211
Gillet, Ludovicus 265
Gressel, Laurentius . . . 11
Griffin, Hugo 125

H

Hafkenscheid, Bernardus . 266
Hailandiere, C. de la . 161, 209, 235
Hammer, Clemens, . . . 211
Heiss, Michael 267
Henni, Joannes . 211, 236, 264
Henniss, Henricus S. . . 236
Heyden, Thomas . . . 211, 239
Hickey, Joannes . 129, 211, 239, 267
Hoskyns, Joannes, . . . 97
Hughes, Joannes . 98, 127, 209, 235, 264

J

Janson, Carolus de Forbin . 161
Jeanjean, Augustus . . 36, 97
Jenkins, Olivarius L.. 210, 239

K

PAGE

Kenrick, Franciscus P. 36, 96, 124, 161, 209, 235, 263
Kenrick, Petrus R. . 127, 209, 235, 263
Kerney, Nicolaus 163
Kindekens, Petrus . . . 267

L

Lancaster, Jacobus . . . 211
Lefevere, Petrus P. 164, 209, 235, 264
Lhomme, Franciscus . 39, 125, 162, 210, 236, 265
Loisel, Regis 126
Loras, Mathias 161, 209, 235, 263
Loughlin, Joannes . . . 267
Lutz, Joseph 163
Lynch, Patritius 211

M

Maller, Marianus 265
Matthews, Gulielmus . 34, 98
Mauvernay, Petrus . . . 98
Mazzuchelli, Samuel . . 211
McAleer, Michael 238
McCaffrey, Joannes . 239, 266
McCloskey, Joannes 236, 264
McColgan, Eduardus . . 239
McElroy, Joannes . . . 163
McSherry, Gulielmus . 97, 126
Melcher, Josephus . . . 239
Miles, Riccardus P. . 161, 209, 235, 264
Mollineux, Robertus . . . 11
Montgomery, Carolus P. . 163
Moriarty, Patritius . . 165, 211
Mulledy, Thomas F. . . . 127

N

Nagot, Franciscus C. . . 11
Neale, Leonardus . . 11, 28

O

O'Brien, Timotheus . . . 267
O'Connor, Jacobus . . . 267

PAGE

O'Connor, Michael 163, 235, 264
Odin, Joannes M. 98, 209, 235, 264
O'Dwyer, Joannes P. . . 266
O'Reilly, Bernardus . . . 267

P

Paris, Simon A. 266
Parsons, Gulielmus D. 210, 236, 265
Pelamourgues, Antonius . 267
Pellentz, Jacobus 11
Penco, Antonius 211
Pile, Henricus 11
Pise, Carolus C. . . 239, 268
Plunket, Robertus 11
Portier, Joannes M. . . . 266
Portier, Michael 96, 161, 208, 235, 263
Power, Joannes . . 40, 98, 163
Pozzo, Eugenius H. . . . 211
Prost, Josephus 163
Purcell, Joannes B. . 96, 124, 161, 209, 235, 263

Q

Quarter, Gulielmus . . 236
Quiblier, Josephus V. . . 239

R

Raffeiner, Joannes . . . 267
Rampon, Claudius . . . 211
Randanne, J. B. 39, 97, 125, 162, 211, 238, 267
Rappe, Amedeus 264
Raymond, Gilbertus . 163, 211, 238, 266
Rese, Fredericus 96
Reynolds, Ignatius A. 127, 236, 264
Rosati, Joseph 33, 95, 124, 161

PAGE

Rouquette, Adrianus . . . 266
Ryder, Jacobus . . . 211, 267

S

Saint-Germain, Joannes B. 238
Saint-Palais, M. de . . . 264
Schreiber, Petrus S. . . 126, 211
Sewall, Carolus 11
Spalding, Martinus J. . 238, 264
Starrs, Gulielmus 267

T

Tappert, Henricus . . . 239
Tessier, Joannes . . 11, 36, 97
Thayer, Joannes 19
Timon, Joannes . 211, 238, 264
Tornatore, Joannes B. . 211, 238
Tyler, Gulielmus . . 236, 264

U

Unterthiner, Gulielmus . . 266

V

Vandevelde, Jacobus O. 238, 265
Vanhuftel, Jacobus . . . 11
Varela, Felix 125, 238
Verhægen, Petrus J. 127, 211, 238
Verot, Augustinus 127, 211, 238, 267

W

Wheeler, Michael 36
Whelan, Riccardus V. 209, 235, 264
White, C. I. A. . 124, 162, 210, 238, 266
Whitfield, Jacobus . 33, 95
Wilson, Georgius A. . . 238
Wimmer, Bonifacius . . . 265
Wood, Jacobus F. . . . 266

Y

Young, Nicolaus D. 97

INDEX

ET ORDO PRÆCIPUARUM RERUM, QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

PAGE

Monitum 9
Statuta Synodi Baltimorensis anno 1791 celebratæ 11
Quidam ex articulis disciplinæ anno 1810 sancitis 25

CONCILIUM PROVINCIALE PRIMUM.

Epistola dedicatoria ad Summum Pontificem 31
Proœmium 33
Acta Concilii 34
Epistola Synodalis ad Summum Pontificem 55
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide 60
Decretorum Concilii approbatio 61
Instructio circa Decreta Concilii 63
Decreta Concilii 72
Supplex libellus pro quibusdam gratiis impetrandis 86
Formula aquæ baptismalis conficiendæ 87
Decretum de formâ in baptismo adultorum adhibendâ 89
Decretum de aquâ baptismali conficiendâ 91
Decretum quo prorogatur tempus ad satisfaciendum præcepto communionis paschalis 92

CONCILIUM PROVINCIALE SECUNDUM.

Acta Concilii 95
Decreta Concilii 100
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide 107
Breve Epistolare Gregorii PP. XVI 109
Bulla Apostolica de Diœcesum limitibus 111
Decretum de methodo servandâ in Episcoporum electione . . . 117

CONCILIUM PROVINCIALE TERTIUM.

PAGE
Acta Concilii 123
Epistola Synodalis ad Summum Pontificem 133
Instructio circa Decreta Concilii 139
Decreta Concilii 141
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide 145
Decretorum Concilii approbatio 147
Dispensatio super observatione feriæ II Paschatis et Pentecostes . 148
Dispensatio super jejunio feriæ IV Adventûs 149
Epistola S. Congregationis de jejunio feriæ VI Adventûs . . . 151
Rescriptum Apostolicum de adhibendo Cæremoniali 152
Rescriptum Apostolicum de adhibendo Ritualis Compendio . . 154

CONCILIUM PROVINCIALE QUARTUM.

Acta Concilii 159
Decreta Concilii 169
Epistola Synodalis ad Summum Pontificem 175
Epistola ad Coloniensem et Posnaniensem Archiepiscopos . . . 180
Epistola ad Leopoldinam Societatem 182
Breve Epistolare Gregorii PP. XVI 184
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide 186
Decretorum Concilii approbatio 189
Petitur dispensatio super jejunio in Vigiliâ SS. Petri et Pauli . . 190
Dispensatio super abstinentiâ die Sabbati ad tempus conceditur . 191
Petuntur nonnulla Officia per totam Provinciam celebranda . . . 192
Decretum de supradictis Officiis 194
Responsum S. Congreg. Rituum ad quæstiones quasdam liturgicas 195
Decretum circa bona Ecclesiastica tutò servanda 198

CONCILIUM PROVINCIALE QUINTUM.

Acta Concilii 207
Decreta Concilii 216
Epistola Synodalis ad Summum Pontificem 220
Breve Epistolare Gregorii PP. XVI 224
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide 226
Decretorum Concilii approbatio 228

CONCILIUM PROVINCIALE SEXTUM.

	Page
Acta Concilii	233
Decreta Concilii	244
Conceduntur privilegia quædam in honorem B. V. M.	246
Breve Epistolare Pii PP. IX	248
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide	250
Decretorum Concilii approbatio	254
Decretum quo B. V. Maria harum Provinciarum Patrona instituitur	255
Responsa S. Congreg. Rituum circa festum Conceptionis B. V. M.	256
Formula juramenti ab Episcopis in Consecratione suâ emittenda	258

CONCILIUM PROVINCIALE SEPTIMUM.

Acta Concilii	263
Decreta Concilii	277
Petitio pro novis sedibus Archiepiscopalibus erigendis	281
Epistola Synodalis ad Summum Pontificem	282
Epistola ad Societatem Leopoldinam	285
Epistola S. Congregationis de Propagandâ Fide	287
Decretorum Concilii approbatio	289
Decretum S. Congregat. circa Episcoporum electionem	290
Decretum de finibus Diœcesum Pittsburgensis et Philadelphiensis	291

INDEX ALPHABETICUS.

A

Absolutio iis deneganda qui ad Societates secretas pertinent, 28.
Abstinentia ab esu carnium, die Sabbati, ut perpetua concedatur supplicare statuunt Præsules, 166.—Petitio de eâ re, 191.—Dispensatio ad viginti annos prorogatur, 191.
Ædituî nullum omninò jus habent instituendi vel dimittendi Pastores, 75.—Si Pastoribus ab Ordinario approbatis molestiam inferant, Ecclesia interdicenda, 76.
Altaris linteorum, et sacræ supellectilis mundities potissimùm commendatur, 81.
Aqua in baptismo adhibenda, qualis esse debeat, 79.—Petitur facultas aquam baptismalem benedicendi breviori formulâ, quæ describitur, 87.—Hæc facultas conceditur, 91.

B

Baltimorensi diœcesi Primitialem gradum concedi petunt Præsules, 269.—S. Sedis de eâ re decisio dilata, 281.
Baptismus, quando sub conditione sit iterandus, 12.—In ecclesiâ, quantùm fieri potest, conferendus, 26, 79.—Quænam nomina in baptismo imponenda et exprimenda, 78.—Nomina omnia in libro recensenda, 78.—Deficiente sponsore, privatus tantùm baptismus conferatur, 27.—Optant Præsules ut retineatur consuetudo baptizandi adultos eâdem formâ ac parvulos, 79.—Petitio de eâ re, 86.—Hæc facultas ad viginti annos (*anno* 1830) conceditur, 89.—Exigendum non est ut omissæ cæremoniæ super adultos ad fidem conversos suppleantur, 13.
Baptizati in libro a Pastoribus describendi, 13, 26, 78.
Bardensis Sedes. De hac Sede Ludovicopolim transferendâ agitur, 164.
Biretum sit Romano bireto conforme, 83.
Bona Ecclesiastica tutissimè servanda, 142, 172.—S. Congreg. de Propag. Fide eâ de re decretum, 198.—In eo decreto aliquid immutatur, 216.—Bona Ecclesiastica ad Ordinarios pertinere declarantur, 278.

C

Cæremoniale edendum, 83.—Illius componendi cura cui demandata fuerit, 46.—Romam mittendum, 139.—Ab omnibus servandum, 142, 152.

Cantus Ecclesiasticus. Abusus ab hujusmodi cantu eliminandi, 143.

Carolopolitanus Episcopus non inclusus in decreto de ecclesiis Ordinario assignandis, 74.

Catechismus in usum communem in his Provinciis edendus, 83.

Catholici ad quid teneantur festis illis diebus qui ab acatholicis non servantur, 21.

Chartæ. An chartarum ludus sit prohibitus, 69.

Choreæ, Ludi scenici, etc. Deterrendi Fideles ne choreis et ludis scenicis intersint, pravosque libros legant, 27.

Clerici vestes gerant suo ordini congruentes, 22.—Nonnisi ex Apostolico Indulto ordinantur titulo missionis, 139, 141.—An clerici in sacris, titulo missionis ordinati, religiosum ordinem ingredi possint, 244.—Sacros ordines suscipientes, ad quid se obligare debeant, 139, 141.—Ne in domo suâ retineant feminas de quibus existat mala suspicio, vel quæ sint minùs quadraginta annorum, 22.—De re juris stricti Ecclesiastici apud sæculares judices contendere prohibentur, 140, 142.—Quid de causis mixtis, 140.—Qualis Clericorum vita esse debeat, 173.—*Cetera quære in verbo* Pastores, *et in verbo* Sacerdotes.

Coadjutor invito Episcopo non dandus, et ab ipso Episcopo seligendus, 104.—Coadjutor Coadjuti absentis vices implens, vel Episcopalem in Diœcesim jurisdictionem habens, in conciliis sedet cum voce decisivâ, 96.

Coadjutores designati: DD. J. Hughes, 146.—J. Odin, 187.—J. McCloskey, 227.—J. B. Fitzpatrick, 227.

Collecta in anniversario creationis et coronationis Papæ regnantis dicenda, 197.

Collectæ faciendæ ut Summo Pontifici subveniatur, 272.

Communio. Pueri ad primam communionem diligenter præparandi, 15.—Prorogatur tempus satisfaciendi præcepto communionis paschalis, 92.

Concilium Nationale Baltimori anno 1852 habendum, 279.—Concilia Provincialia quatuor priora cum alphabetico indice typis mandanda, 165.

Confessionalia in omnibus ecclesiis erigenda, 81, 218.

Confirmati describantur in libris à Pastoribus, 78.

Confirmatio quibus conferri possit, 13, 80.—Schedulæ à confirmandis exhibendæ, 80.

Conventus anno 1810 habitus laudatur, 48.—Ejusdem statuta iterùm edenda et observanda, 81.

D

Detroitensis Civitas dispensatur super Tridentino decreto de clandestinitate matrimonii, 217.

Detroitensis Episcopus mentem suam aperit de Sede suâ resignandâ, 128.—Sanctitati Suæ, priusquàm res definiatur, illum audire placet, 146.—Ab omni jurisdictione suspensus declaratur, 187.

Divortio civili qui sejuncti sunt, ad nova vota transire sub pœnâ excommunicationis prohibendi, 216.

Dominici et festorum dierum observatio potissimùm premenda, 171.

E

Ebrietas quàm maximè eliminanda, 171.

Ecclesia nulla ædificanda, nisi fuerit Ordinario adsignata, 74.—Ecclesia, cui præficitur ab ædituis sacerdos non adprobatus, etc. interdicenda, 76.—Laici in ecclesiis verba ad populum absque Ordinarii licentiâ facere prohibentur, 216.

Eleemosynæ, diebus Dominicis et festis, intra Missam colligendæ, et quibus dispertiendæ, 14.—Ad hujusmodi eleemosynas faciendas excitentur Fideles, 22.—Item, pro erigendis Seminariis, 105; et pro sustentandis Pastoribus, 141.—Eleemosynæ Fidelium quâ ratione distribuendæ inter Sacerdotes qui eidem ecclesiæ deserviunt, 170.

Episcopus non ordinariè desumendus inter eos qui civitatis jure non gaudent, 162.—Inter alias qualitates requiritur scientia linguæ quâ diœcesani utuntur, 252.—De Episcopis eligendis methodus proposita, 102; et à S. Sede approbata, 117.—De hac methodo aliquid immutatur, 278, 290.—Episcopus alienus invitatus ad consedendum in consilio cum voce decisivâ, 159. *Vid.* Præsules.

Episcopi quidam laudati: J. Carroll, 48.—S. G. Bruté, 169.—C. A. Droste ex Vischering ac Martinus à Dunin, 179.

Episcopi electi: D. Bruté, 107.—D. Heyden, 146.—D. Loras, 146.—D. Miles, 146.—D. Whelan, 187.—D. Chanche, 187.—D. F. Blanchet, 227.—D. O'Connor, 227.—D. Byrne, 227.—D. G. Quarter, 227.—D. Tyler, 227.—D. Henni, 227.—D. Reynolds, 227.—D. McGill, 288.—D. Alemany, 289.

Extrema Unctio pueris rationis usum assecutis conferri potest, 16.

F

Feminæ cujus ætatis esse debeant quæ clericis deserviunt, 22.—Feminarum confessiones extra ecclesias non audiendæ sine speciali licentiâ Ordinarii, 81.

Festum. Ad quid teneantur Fideles in festis diebus qui ab acatholicis non servantur, 21.—Feriæ secundæ Paschatis et Pentecostes jam non esse de præcepto declarantur, 148.

Fontes baptismales in unaquaque ecclesiâ, clave muniti, erigendi, 79.

I

Indi. Postulant Præsules ut Indorum Missio Societati Jesu demandetur, 104.—Hæc missio præfatis Patribus committitur, 108.
Infantes acatholicorum quando baptizari possint, vel etiam debeant, 68, 79.
Instructiones circa decreta à conciliis Baltimorensibus edita, 63, 139.

J

Jejunium. Statuunt Præsules S. Sedi supplicandum pro tollendo jejunio in feriis IV et VI Adventûs, 144.—Petitio de ea rè, 149.—Dispensatur super feriâ IV, 150: sed jejunium feriæ VI retinetur, 151.—Petitio de tollendâ obligatione jejunii in Vigiliâ SS. Petri et Pauli, 190.—S. Congregationis eâ de re responsum, 187.
Juramenti formula ab Episcopis in consecratione suâ emittenda, 258.
Jurisconsulti quidam à Præsulibus consulti, 45, 47.
Jurispatronatus in his Provinciis nunc non existere declaratur, 75.

L

Latina lingua in sacramentorum administratione, necnon in sepulturis adhibenda, 80.
Libri, in scholarum usum, cum Ordinarii approbatione, edendi, 70, 84.—Quibus demandatum sit munus hujusmodi libros seligendi, 105.—Societas pro disseminandis libris catholicis instituenda, 84; quæ etiam à civili potestate sanciatur, 44.—Hæc Societas probatur à Præsulibus, 218.—De theologicis libris in his Provinciis adhibendis agitur, 44.
Limites Diœcesum: Albanensis, 251.—Baltimorensis, 113.—Bostoniensis, 113.—Buffalensis, 251.—Carolopolitanæ, 114.—Chicagensis, 212.—Cincinnatensis, 114.—Clevelandensis, 251.—Detroitensis, 114.—Dubuquensis, 131.—Hartfordensis, 214.—*Little-Rock,* 212.—Ludovicopolitanæ, 114.—Milwauchensis, 212.—Mobiliensis, 114.—Nashvillensis, 131.—Natchetensis, 131.—Neo-Aurelianensis, 114.—Neo-Eboracensis, 113.—Philadelphiensis, 113, 125, 291.—Pittsburgensis, 125, 291.—Richmondensis, 113.—S. Ludovici, 114.—S. Pauli de Minnesotâ, 273.—Savannahensis, 270.—Vincennensis, 114.—Wheelingensis, 273.
Ludi illiciti, vel qui scandalum parere possint, vitandi, 82.

M

Maria Virgo, sine labe originali concepta, in Patronam harum Provinciarum eligitur, 244.—Hæc electio à S. Sede confirmatur, solemnitate ad Dominicam sequentem translatâ, 255.—Responsa S. Congregationis Rituum quoad hujus solemnitatis celebrationem, 256.—Optant Præsules ut conceptio B. M. V. immaculata definiatur, 278.—Magnâ erga B. M. devotione flagrant in his Provinciis Fideles, 277.—Privilegia quædam in ejus honorem petuntur, 241; et conce-

duntur, 247.—Assumptio B. V. M. in festum principale diœcesis Baltimorensis assumitur, Dominicâ infra Octavam celebrandum, 21.

Matrimonium contrahere cupientes Christianam doctrinam calleant, et quid sint edocendi, 17.—Ad sacramentum ritè recipiendum disponendi, 81.—Vagi et peregrini ad matrimonium cautè admittendi, 17.—Matrimonia, quantùm fieri potest, in ecclesiâ celebrentur, 27; et in libris describantur, 26, 78.—Promulgatio Tridentini decreti de clandestinitate in his Provinciis haud expedire declaratur, 217.—Banna, quamprimùm fieri poterit, in omnibus diœcesibus proclamanda, etiam pro matrimoniis mixtis, 244, 252.

Matrimonia mixta dissuadenda, 18, 169.—Quibus conditionibus permittenda, 18, 170.—Sine ullo religioso ritu celebranda, 19, 170, 253.—Quibus vestibus induti Episcopi et Sacerdotes istiusmodi matrimoniis adstare possint, 165.

Missæ sacrificio quanta debeatur reverentia docendus populus, 13.—Missæ in ædibus privatis sine Ordinarii licentiâ non celebrandæ, 80. Mundities in eis quæ missæ sacrificio inserviunt, injungitur, 81.

Missionariis Apostolicis concessa privilegia serventur, 74.

Musica in divinis officiis adhibita, qualis esse debeat, 143.

N

Nigritarum in Liberiam migrantium curam spiritualem Patribus Societatis Jesu demandandam censent Præsules, 104.—Hæc missio prædictis Patribus à S. Congregatione commendatur, 108.—Litteræ Apostolicæ de Nigritarum commercio non exercendo, publicè leguntur, 166.

O

Officia divina, Dominicis et festis diebus, quomodo ordinanda, 19.

Officia nonnulla particularia petuntur, 192; et concessa declarantur, 194.—Responsum S. Congregationis Rituum circa eadem officia, 195.

Officiarii quidam navales supplicant pro formulâ precum, 167.

Ordines religiosi. Eorum privilegia servantur, 65, 73, 74.

P

Pallium Archiepiscopo Baltimorensi impositum, 38.

Pastores seu *Parochi* populum sibi creditum frequenter, et quid doceant, 20, 82, 171, 218.—Pueros rudimenta fidei diligenter doceant, 82; et ad primam communionem præparent, 15.—Eorumdem christianæ educationi invigilent, 171.—Fideles quotannis moneant de adimplendo præcepto communionis Paschalis, 23.—Quomodo sese gerere debeant erga defunctos qui præcepto communionis Paschalis non satisfecerunt, 23.—Eos qui matrimonium contrahere volunt ritè disponant, nec temerè jungant, 81.—Illorum matrimonio interesse vetantur, qui ab acatholico ministro vel jam conjuncti sunt, vel

conjungi volunt, 278.—Matrimonii et baptismatis sacramenta conferre prohibentur Fidelibus ex aliis diœcesibus, qui ea à proprio Pastore facilè recipere possent, 244.—Seduli sint in visitandis infirmis, 218.—Libros habeant in quibus referant baptismata, confirmationes, matrimonia et sepulturas, 13, 26, 78.—Item, ad recensendas res ecclesiæ suæ, 217.—Res suas ab ecclesiæ rebus sejungant, 217.—Ubi duo vel plures sunt qui eidem ecclesiæ deserviunt, unus sit qui tanquàm Pastor habeatur, 74; et is solus congregationem administret, 170.—*Cetera lege in verbo* Sacerdos, *et in verbo* Clerici.

Patrini quales esse debeant, 68, 78.—In baptismo infantium acatholicorum, patrini debent esse catholici, 79.

Pœnitentia. Sacerdos quilibet prohibetur sub pœnâ suspensionis, *ipso facto*, exciperè confessiones sine adprobatione Ordinarii, 16.

Præsules in conciliis secundùm consecrationis suæ tempus considunt, 37.—A publicâ decretorum lectione abstinendum censent, 49.—Quâ ratione decretis conciliorum subscribere debeant, 71.—Sacerdotes sæpiùs officii sui moneant, et ad meditationem, annuos recessus, etc. excitent, 82.—Invigilent Pastorum residentiæ, 217.—Pastorum temeritatem reprimant in erigendis vel reparandis ecclesiis, 217.—Libros habeant ad describendas ordinationes, etc. 173.—*Vid.* Episcopus.

Promotores. Præsules quidam contendunt Promotores non assumendos esse inter Episcopos, 162.

Puerpera in ecclesiâ, quantùm fieri potest, benedicenda, 80.—Benedici potest etiamsi paschale præceptum non impleverit, nec sacramentalem confessionem paulò ante fecerit, 68.

R

Regulæ in conciliis servandæ, 34, 40, 41, 98, 126, 127.

Rituale Romanum accuratè servandum, 77.—Ritualis Romani nova editio facienda, 104, 142.—Ejusdem autographum Romam mittitur, 167.—Exemplar Romam mittendum, 108, 139.—Adhiberi permittitur, 155, 218.—Quædam in vernaculam linguam vertenda, latinâ tamen formâ nunquam omissâ, 167, 218.—Minor ejusdem Ritualis editio edenda, 104, 167.

S

Sacerdotes veste talari et superpelliceo in sacris functionibus uti debent, 15.—Quo habitu ad missam celebrandam accedere debeant, 81.—Approbatis pro una quâvis diœcesi jurisdictio data fuerat in vicinas diœceses, 25; ista facultas revocatur, 105.—Ad quid teneantur sacerdotes vi promissionis in ordinatione emissæ, 72, 73.—Cooptati in aliquam diœcesim ad quid teneantur, et quando cooptati censeantur, 73.—Quas pœnas incurrant qui, propriâ congregatione relictâ, alienam usurpant, 16.—Si duo vel plures eidem ecclesiæ inserviant, unus sit Pastor, 74, 170.—Eleemosynas extra suam congregationem, absque Ordinarii licentiâ, colligere prohibentur, 143.—Si infir-

mi sint, vel ætate provecti, eorum sustentationi providendum, 141. —Sacerdotes qui laicis faverint jura Ecclesiæ sibi arrogantibus, vel usurpare conantibus, revocandi vel suspendendi, 76.—Sacerdos nullus à proprio Episcopo dimittendus, nisi constet quòd ab alio sit recipiendus, 278.—Sacerdotibus vagis facultates sacra munera exercendi denegandæ, 73.—Sacerdotes pertinentes ad sæculares vel regulares congregationes, si animarum curam habeant, à Superiore non revocandi invito Episcopo, 25.—*Cetera quære in verbo* Clerici, *et in verbo* Pastores.

Sacristia. An in sacristiâ excipi possint confessiones, 218.

Sancti-Ludovici Episcopus, S. Sedi immediatè subjectus, ad concilium primum invitatur, 33.

Scholæ pro catholicis pueris instituendæ, 84.—Ab eis arcenda acatholicorum biblia, preces et cantica, 171.

Scriptura sacra. Nulla versio præter Duacensem utenda, 26, 77; quæ tamen à S. Sede non est approbata, 67.

Sedes novæ Archiepiscopales, cum Suffraganeis, 271, 274, 281, 288.

Sedes novæ Episcopales: Albanensis, 251.—Buffalensis, 251.—Chicagensis, 212.—Clevelandensis, 251.—Dubuquensis, 131, 146.—*Little-Rock*, 212.—Milwauchensis, 212.—*Monterey*, 289.—Nashvillensis, 131, 146.—Natchetensis, 131, 146.—In Territorio Neo-Mexicano, 273.—Oregonensis, 227.—Pittsburgensis, 125, 212.—Savannahensis, 270, 288.—S. Pauli de Minnesotâ, 273, 288.—Vincennensis, 100, 107.—Wheelingensis, 273, 288.

Sedes Episcopalis petitur pro oppido *Springfield*, sed non expedire videtur, 164.

Seminaria in omnibus diœcesibus erigenda, 105.—De Centrali seminario agitur, 43.

Sepulturæ in libris à Pastoribus describendæ, 26, 78.

Societates secretæ suspicionem et periculum præ se ferunt, 172.—Quomodo agendum cum iis qui se illis adjungunt, 28, 172.

Stipendia pro missis non importunè et sordidè exigenda, 15.—Taxa stipendii in his Provinciis, 27.

Superpelliceum in sacris functionibus utendum, 15, 82.—An unaica sit superpellicei forma, 70.

Synodus anno 1791 habita laudatur, 48.—Ejusdem statuta iterùm edi, et observari jubentur, 81.

V

Vestis talaris in administrandis sacramentis utenda, 11; et constanter, si fieri possit, gerenda, 82.

Vicariatus Apostolicus pro Saxosorum Montium Territorio, 274.

Vicarius Generalis, Episcopi sui vice in concilio fungens, voto consultativo tantùm gaudet, 125.

EXPLICIT INDEX.

CONCILIUM PLENARIUM

TOTIUS

AMERICÆ SEPTENTRIONALIS FŒDERATÆ,

BALTIMORI HABITUM

ANNO 1852.

BALTIMORI:
APUD JOANNEM MURPHY ET SOCIOS,
TYPOGRAPHOS AC BIBLIOPOLAS,
VIA MERCATORIA, No. 178.
MDCCCLIII.

ENTERED, according to the Act of Congress, in the year one thousand eight hundred and fifty-three, by JOHN MURPHY & Co., in the Clerk's Office of the District Court of Maryland.

TYPIS JOANNIS MURPHY ET SOCIORUM.

ACTA ET DECRETA

CONCILII PLENARII

Totius Americæ Septentrionalis Fœderatæ,

BALTIMORI HABITI

ANNO 1852,

PRÆSIDENTE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI,

DELEGATO APOSTOLICO.

BREVE APOSTOLICUM

QUO REVERENDISSIMUS D. ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS HUJUS CONCILII PLENARII PRÆSES CONSTITUITUR.

PIUS PP. IX.

Venerabili Fratri Francisco Patritio Kenrick, Archiepiscopo Baltimorensi.

VENERABILIS Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. In Apostolicæ Sedis fastigio, Deo sic volente, collocati, quæ ad rectam disciplinæ rationem in Ecclesia statuendam, tuendamque pertineant, illa ex Apostolici nostri muneris officio probanda ac promovenda censemus. Quum igitur VV. FF. Antistites Fœderatorum Statuum Americæ Sep-

tentrionalis a nobis petierint, ut plenarium haberi possit Concilium ex omnibus regionis illius Episcopis, ea potissimum de causa, ut collatis consiliis proponantur quæ ad disciplinæ uniformitatem servandam opportuna esse possint, nos communibus eorumdem Antistitum votis adnuendum duximus, ac de consilio VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalium propagandæ Fidei præpositorum, te in Delegatum Apostolicum eligendum existimavimus, ut Concilio eidem præsis, quippe quod de singulari tua in Ecclesiasticis disciplinis peritia, Catholicæ fidei zelo, et obsequio erga Apostolicam Sedem præclara habemus argumenta. Te igitur, quem ob eadem illustria merita ab Episcopali Sede Philadelphiensi ad Archiepiscopalem Ecclesiam Baltimorensem per similes nostras Apostolicas litteras hoc ipso die datas transtulimus, in Delegatum Apostolicum eligimus, constituimus et renuntiamus ad præsidendum memorato plenario Concilio cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, juxta instructiones per Congregationem propagandæ Fidei tibi transmittendas, potissimum vero ut Acta ac Decreta ad Sedem Apostolicam mittenda cures, quatenus judicium de iis proferri valeat, ac si visum fuerit, comprobentur. Hoc decernimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis, atque in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Augusti, MDCCCLI, Pontificatus nostri anno sexto.

A. Card. LAMBRUSCHINI.

LITTERÆ INDICTIONIS.

FRANCISCUS Patritius Kenrick, Dei et S. Sedis Apostolicæ gratia, Archiepiscopus Baltimorensis, et Delegatus Apostolicus,

Reverendissimis Fratribus Archiepiscopis et Episcopis in Fœderatæ Americæ Septentrionalis Statibus ac Territoriis, ceterisque Ecclesiasticis viris qui de jure vel consuetudine Concilio plenario interesse debent, salutem in Domino.

Notum est apud omnes quam salutaria fuerint rei Catholicæ in hisce Provinciis Concilia Provincialia, quæ hucusque Baltimori celebrata fuerunt; quantum nimirum adjuverint ad confirmandam, ut par erat, reverentiam et obsequium erga Cathedram Petri; ad vincula charitatis inter nosmet ipsos arctius stringenda, disciplinæ firmitatem ac uniformitatem stabiliendam, tollendos abusus, moresque in melius reformandos. His rationibus permoti Patres Concilii Baltimorensis Provincialis VII, a S. Sede petierunt ut plenarium anno 1852 haberi posset Concilium ex omnibus regionis istius Episcopis, Summusque Pontifex communibus eorum votis benigne annuens, Nos, per Breve Epistolare die 19 Augusti 1851 datum, Delegatum Apostolicum constituit ad præsidendum memorato plenario Concilio.

Quum igitur, ex Apostolicæ Sedis mandato, nostri sit officii plenarium Concilium indicere et convocare; cupientes, quantum in nobis est, hac in parte munus nobis commissum, uti debemus, implere, necnon et perficere quæ a Patribus Concilii Provincialis VII ea de re statuta sunt; dictum plenarium Concilium in Civitate Baltimorensi, Ecclesiaque nostra

Metropolitana, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, celebrare decrevimus, illudque ad quartam post Pascha Dominicam proxime futuram, hoc est, ad diem nonam Maii 1852 indicimus, atque convocamus.

Quapropter omnes et singulos Reverendissimos in Christo fratres nostros Coepiscopos ex omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis Statibus et Territoriis, ac alios quoscumque qui de jure vel consuetudine, plenario Concilio interesse debent, monemus, hortamur, quo possumus charitatis affectu invitamus, atque etiam vigore facultatum nobis specialiter a S. Sede tributarum præcipimus, ut ad dictum plenarium Concilium ibi celebrandum, die assignata, per se vel per legitimum Procuratorem (si forte justum impedimentum obrepserit) conveniant, et compareant: ut, collatis consiliis, ea quæ ad religionis decus et incrementum, nostramque, ac ovium nostrarum salutem maxime spectant, assistente Spiritu sancto, decernamus et exequamur.

Reverendissimos Archiepiscopos et Episcopos rogamus, ut in suis diœcesibus eos omnes de hujus Concilii indictione moneant, qui ex jure vel consuetudine, vel privilegio, eidem interesse tenentur.

Datum Baltimori Anno 1851, mensis autem Novembris die 21.

†FRANCISCUS PATRITIUS, *Archiepiscopus Baltimorensis, Delegatus Apostolicus.*

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Baltimorensis,

THOMAS FOLEY, *Secret.*

ACTA CONCILII.

SABBATO, quod erat dies octavus Maii, anno salutis MDCCCLII, hora sexta P. M. convenere in ædibus Archiepiscopalibus, Illmi et Revmi Prælati, quos ad Concilium plenarium habendum Illmus et Revmus D. Baltimorensis, ex auctoritate et mandato S. Sedis, Baltimorum convocaverat.

Aderant autem Revmi et Illmi Archiepiscopi sex, nempe: I Baltimorensis; II Oregonensis; III S. Ludovici; IV Neo-Aurelianensis; V Neo-Eboracensis; VI Cincinnatensis.

Revmi et Illmi Episcopi, eorum suffraganei, viginti tres: I Mobiliensis; II Dubuquensis; III Nashvillensis; IV Natchetensis; V Vehelingensis; VI Zelanus, Detroitensis Coadjutor et Administrator; VII Galvestoniensis; VIII Pittsburgensis; IX Petriculanus; X Albanensis; XI Carolopolitanus; XII Bostoniensis; XIII Clevelandiensis; XIV Buffalensis; XV Ludovicopolitanus; XVI Chicaginensis; XVII Nesqualensis; XVIII Hartfordensis; XIX Savannensis; XX Richmondensis; XXI Agathoniensis, Novi Mexici Vicarius Apostolicus; XXII Messeniensis, Territorii Indorum ad orientalem Montium Saxosorum plagam Vicarius Apostolicus; XXIII Philadelphiensis.

Adfuit insuper Revmus et Illmus D. Episcopus Montisregii in California, impræsentiarum S. Sedi immediate subjectus, quem huic Concilio interesse voluit Sanctissimus.

Adfuit etiam Revmus et Illmus D. Torontinus, Archiepiscopi Quebecensis suffraganeus.

Aberant autem Revmi et Illmi Vincennopolitanus, qui propter quædam diœceseos suæ negotia Europam petierat; et Milwauchiensis atque Sancti Pauli, quos tamen semet in viam dedisse, ac propediem adventuros nuntiatum est.

Conveniunt igitur, hora jam dicta, Revmi et Illmi supradicti Prælati, veste talari, vel tantum habitu, ut aiunt, civili induti, ad consessum privatum habendum apud Revmum D. Archiepiscopum Baltimorensem, ut regulas quasdam statuant pro negotiis Concilii ordine tractandis, et ut illorum nomina proponantur, quos crastino die in Officiales Concilii eligere placeat; necnon ut Illmus et Revmus Baltimorensis, quæ in Concilio agenda sint, Patribus generatim exponat.

Consessui præfuit ipsemet Baltimorensis, utpote qui per Breve Apostolicum, die 19 Augusti MDCCCLI datum, Delegatus Sedis Apostolicæ fuerit constitutus, ut Concilium hoc plenarium convocare, eique præesse possit.

Proponente eodem Revmo Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Delegato, sequentes Officiales nominantur, qui in Sessione solemni crastino die habenda, a Patribus eligantur, nempe:

Promotores: Revmus et Illmus Joannes Josephus Chanche, Ep. Natchet. et Adm. Rev. D. Franciscus Lhomme, Cong. S. Sulpitii, Vic. Gen. Baltimorensis.

Notarius: Rev. D. Eduardus Ludovicus Damphoux, S. T. D.

Secretarii: Adm. Rev. D. Patritius N. Lynch, S. T. D., Vic. Gen. Carolopolit. et Rev. D. Thomas Foley.

Magister Cæremoniarum: Rev. D. Franciscus Burlando, Cong. Missionis.

Cantores: Adm. Rev. D. L. De Goesbriand, Vic. Gen. Clevelandiensis, et D. Joannes Dougherty.

Proponente eodem Revmo et Illmo Domino, et re inter Patres aliquantulum agitata, sequentia communi consilio stabilita sunt:

De novarum Sedium Episcopalium erectione, et de Sacerdotum in eas nominatione, hic sit agendi modus: Metropolita et Suffraganei illius provinciæ, in qua nova Sedes erigenda, vel novus Episcopus nominandus sit, rem, collatis consiliis, in prima instantia decernent, ac sententiam suam per Metropolitam Congregationi particulari omnium Archiepiscoporum aperient, simulque, si res ferat, tres Sacerdotes proponent, quos omnino dignos censent qui ad Sedem de qua quæstio erit, promoveantur. Archiepiscoporum autem Congregatio prædicta, re iterum agitata, consilium suum Patribus omnibus in Congregatione generali privata significabit, quorum erit, ultimo judicio, quid ea in re a S. Sede postulandum decernere.

De aliis generatim rebus, in quinque Congregationibus Patrum particularibus agatur.

Primæ Congregationi, de quæstionibus ad jus canonicum pertinentibus, præerit Revmus et Illmus D Archiepiscopus Neo-Aurelianensis, intereruntque Revmi DD. Zelanus, Pittsburgensis, Bostoniensis, Ludovicopolitanus, Montisregii, Hartfordensis.

Secundæ Congregationi, de rerum temporalium administratione, præerit Revmus et Illmus D. Neo-Eboracensis, intereruntque Revmi DD. Nashvillensis, Pittsburgensis, Nesqualensis, Petriculanus, Buffalensis, Agathoniensis.

Tertiæ Congregationi, cujus erit de recta juventutis institutione, et de quibusdam aliis agere, præerit Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Cincinnatensis, intereruntque Revm̃i DD. Natchetensis, Vehelingensis, Albanensis, Montisregii, Richmondensis, Philadelphiensis.

Quartæ Congregationi, de sacris ritibus, præerit Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Oregonensis, intereruntque Revm̃i DD. Dubuquensis, Galvestoniensis, Chicaginensis, Savannensis, Messeniensis.

Quintæ Congregationi, de gravaminibus et querelis, præerit Revm̃us et Illm̃us D. Episcopus Mobiliensis, intereruntque Revm̃i DD. Zelanus, Natchetensis, Milwauchiensis, Vehelingensis, Carolopolitanus, Clevelandiensis.

Congregationes hæ particulares iis temporibus locisque habebuntur, quæ Prælatis ipsis magis commoda erunt.

Quotidie vero, hora 11 A. M. convenient Patres omnes in ecclesia, ubi post invocationem Spiritus sancti, et orationem a præside, Archiepiscopus, vel alius Congregationis particularis præses, ordine servato, referet ea quæ visa fuerint plerisque, et decretum proponetur, nisi præsul aliquis examen ulterius habendum postulaverit. Quæ spectant Sedium novarum erectionem, et nominationem sacerdotum in episcopos, hora 12 tractabuntur.

Theologos a propriis episcopis, ut congregationi particulari alicui intersint, invitari licet; congregationibus autem generalibus privatis Patrum soli Officiales Concilii, præter Patres, adsint: immo ex illis nonnisi Notarius et Rev. D. Promotor, quando de Sedium erectione, aut episcopis nominandis agendum erit.

Hora 4 P. M. præsules et sacerdotes omnes, qui quovis nomine Concilio intersunt, convenient in ecclesia, ubi ea legentur quæ decernenda visa fuerint, vel quæ præsules theologorum examini subjicere velint; et si quis animadversiones facere cupiat, audiatur.

Hora 2 P. M. prandium erit apud Revm̃um D. Baltimorensem, ad quod præsules omnes invitantur. Legetur capitulum Scripturæ, et sub finem Martyrologium: colloquia tamen miscebunt præsules inter prandendum, ut recreentur animi, et dilectio foveatur.

Cum autem in præsentiarum Revm̃us et Illm̃us Episcopus Torontinus Baltimori commoretur; et Revm̃i D. Archiepiscopi Halifaxiensis adventus in dies expectetur, voluerunt Patres, istos et quemcumque Revm̃um D. Episcopum, Sedis Apostolicæ communione fruentem, qui ad istam civitatem durante Concilio advenerit, comiter esse invitandos, ut Sessionibus publicis interesse dignentur, necnon, si placet, Congregationibus, cum voce, ut aiunt, consultiva. Torontinus Sessionibus tribus publicis interfuit; quoniam autem exercitiis spiritualibus vacabat, Congregationibus interesse non potuit: ceteri non advenere.

Statutum est regulas vivendi a Concilio Tridentino, Sess. 2. præscriptas, ab omnibus durante Concilio esse servandas.

Statutum est sequentes Epistolas esse scribendas:

1. Primam a Pittsburgensi, latino sermone, quæ nomine Patrum ad Summum Pontificem mittatur.

2. Secundam a Mobiliensi, gallico sermone, ad piam ad Propagandam Fidem Societatem.

3. Tertiam a Philadelphiensi, germanico sermone, ad Leopoldinam et alias pias Germaniæ Societates, quæ Missiones adjuvant.

4. Quartam a Cincinnatensi, quæ Revmi Primatis totius Hiberniæ epistolæ respondeat.

5. Quintam, Pastoralem, ab Archiepiscopo S. Ludovici, ad clerum populumque fidelem harum provinciarum.

Voluerunt Patres conciones quotidie ad populum haberi, in ecclesia Metropolitana, horis vespertinis. Hi autem conciones ejusmodi habuerunt:

Dominica, Maii 9. Revmus et Illmus D. Albanensis.
Die Lunæ, 10. Adm. Rev. P. Wilhelmus S. Murphy, S. J.
—— Martis, 11. Revmus et Illmus D. Cincinnatensis.
—— Mercurii, 12. Revmus et Illmus D. S. Ludovici.
—— Jovis, 13. Revmus et Illmus D. Richmondensis.
—— Veneris, 14. Adm. Rev. D. Patritius Lynch, S. T. D.
—— Lunæ, 17. Adm. Rev. P. Carolus Stonestreet, S. J.
—— Martis, 18. Revmus et Illmus D. Neo-Eboracensis.
—— Mercurii, 19. Revmus et Illmus D. S. Ludovici.

In fine hujus consessus, Revmus et Illmus Præses notum fecit Patribus de quarum Sedium novarum erectione foret agendum.

SESSIO PRIMA SOLEMNIS.

Die 9 Maii, qui erat tertia Dominica post Paschatis festum, A. S. MDCCCLII, hora 10 A. M. conveniunt Patres omnes cum suis theologis, Ordinum-

que Religiosorum, Congregationumque proceres, necnon et alii permulti sacerdotes, in ædibus Archiepiscopalibus, unde ordinata processione, per vias frequentissimas Metropolitanam ecclesiam S. Mariæ petunt Archiepiscopi et Episcopi pluvialibus induti ac mitris; Abbas autem S. Mariæ de Trappâ, pluviali et mitra; Ordinum Religiosorum ac Congregationum Superiores vel pluvialibus, vel Ordinis habitu, ac biretis; Sacerdotes tandem indumentis sacerdotalibus, stolis nempe et planetis.

Ut processioni via pateret inter turbas densissimas tum fidelium, tum acatholicorum, curavit egregia Societas juventuti catholicæ amica, quæ hoc munus, tum hodie, tum quandocumque processio facienda erat, eo decore, ea erga omnes morum suavitate persolvit, ut omnium laudes plaususque merito exciperet.

Ubi vero ad ecclesiam perventum est, omnibus sedes juxta ordinem adsignantur, Archiepiscopis quidem et Episcopis scamna ornata hinc inde a dextris et a sinistris altaris majoris; ceteris vero scamna tum intra, tum extra cancellos chori, necnon et apud altaria S. Josephi et Boni Pastoris: non enim omnibus intra chorum sedendi copiam permisit sacerdotum, aliorumque multitudo.

Missam de Spiritu sancto celebravit ipsemet Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, cui adstiterunt archidiaconus, Adm. Rev. D. F. Lhomme; diaconus, Rev. Alexius J. Elder; subdiaconus, Rev. D. Carolus M. E. Voirdye; diaconi vero juxta thronum adsistentes, Adm. Rev. D. Henricus B. Coskery et Rev. D. Thomas Foley.

Absoluto sacro, concionem ad populum habuit Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Neo-Eboracensis: qua finita, Sessio prima solemnis hujus plenarii Concilii habita est.

Hæc autem nomina sunt, et dignitates eorum qui eidem interfuerunt:

Illm̃us et Revm̃us D. Franciscus Patritius Kenrick, Archiepiscopus Baltimorensis, ac Sedis Apostolicæ Delegatus.

Illm̃us et Revm̃us D. Franciscus Norbertus Blanchet, Archiepiscopus Oregonensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Petrus Ricardus Kenrick, Archiepiscopus S. Ludovici.

Illm̃us et Revm̃us D. Antonius Blanc, Archiepiscopus Neo-Aurelianensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes Hughes, Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes Baptista Purcell, Archiepiscopus Cincinnatensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Michael Portier, Episcopus Mobiliensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Mathias Loras, Episcopus Dubuquensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Ricardus Pius Miles, Episcopus Nashvillensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes Joseph Chanche, Episcopus Natchetensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Ricardus Vincentius Whelan, Episcopus Vehelingensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Petrus Paulus Lefevere, Episcopus Zelanus et Coadj. Administrator Detroitensis.

Illm̃us et Revm̃us D. Joannes Maria Odin, Episcopus Galvestoniensis.

Illmus et Revmus D. Michael O'Connor, Episcopus Pittsburgensis.

Illmus et Revmus D. Andreas Byrne, Episcopus Petriculanus.

Illmus et Revmus D. Joannes McCloskey, Episcopus Albanensis.

Illmus et Revmus D. Ignatius Aloysius Reynolds, Episcopus Carolopolitanus.

Illmus et Revmus D. Joannes Bernardus Fitzpatrick, Episcopus Bostoniensis.

Illmus et Revmus D. Amedeus Rappe, Episcopus Clevelandiensis.

Illmus et Revmus D. Joannes Timon, Episcopus Buffalensis.

Illmus et Revmus D. Martinus Joannes Spalding, Episcopus Ludovicopolitanus.

Illmus et Revmus D. Jacobus Olivarius Vandevelde, Episcopus Chicaginensis.

Illmus et Revmus D. Augustinus M. A. Blanchet, Episcopus Nesqualensis.

Illmus et Revmus D. Josephus Sadoc Allemany, Episcopus Montisregii.

Illmus et Revmus D. Bernardus O'Reilly, Episcopus Hartfordensis.

Illmus et Revmus D. Franciscus Xaverius Gartland, Episcopus Savannensis.

Illmus et Revmus D. Joannes McGill, Episcopus Richmondensis.

Illmus et Revmus D. Joannes Lamy, Episcopus Agathoniensis, Novi Mexici Vicarius Apostolicus.

Illmus et Revmus D. Joannes Baptista Miege, Episcopus Messeniensis, Territorii Indorum ad plagam orientalem Montium Saxosorum Vicarius Apostolicus.

Illmus et Revmus D. JOANNES NEPOMUCENUS NEUMAN, Episcopus Philadelphiensis.

Illmus et Revmus D. AMANDUS DE CHARBONNEL, Episcopus Torontinus.

Abbates, Superiores, et Officiales Ordinum Religiosorum, nempe:

Revmus P. MARIA EUTROPIUS, Abbas S. Mariæ de Trappa.

Adm. Rev. P. PATRITIUS EUGENIUS MORIARTY, S. T. D. Assistens Generalis O. S. Aug. et Commissarius Generalis ejusdem Ordinis in Statibus Fœderatis Americæ.

Adm. Rev. P. ROBERTUS AUGUSTINUS WHITE, S. T. M. Visitator Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Adm. Rev. P. BONIFACIUS WIMMER, Superior Ordinis S. Benedicti in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis.

Adm. Rev. P. WILHELMUS UNTERTHINER, Ordinis Fratrum Minorum Superior.

Adm. Rev. P. JOSEPHUS ASCHWANDER, S. J. Provinciæ Marylandiæ Vice-provincialis.

Adm. Rev. P. WILHELMUS MURPHY, S. J. Viceprovinciæ Missuriensis Provincialis.

Adm. Rev. P. CLEMENS BOULANGER, S. J. Superior Missionis Canadensis et Neo-Eboracensis.

Adm. Rev. P. ANTONIUS JOURDANT, S. J. Superior Missionis Neo-Aurelianensis.

Adm. Rev. P. BERNARDUS JOSEPH HAFKENSCHEID, Cong. SS. Redemptoris Provincialis.

Adm. Rev. D. MARIANUS MALLER, Cong. Missionis, Sororum charitatis Director.

Adm. Rev. D. Franciscus Lhomme, Soc. S. Sulpitii, Seminarii S. Mariæ Rector, Vicarius Generalis Baltimorensis.

Theologi vero hi fuere a singulis Archiepiscopis et Episcopis vel secum adducti, vel Baltimori designati:

A Revmo et Illmo Archiepiscopo Baltimorensi, Adm. Rev. D. Henricus B. Coskery, V. G.; Rev. DD. Carolus I. White, S. T. D. et Augustinus Verot, S. S. S.

A Revmo et Illmo Oregonensi, Rev. DD. Joannes Hickey et Alexius J. Elder.

A Revmo et Illmo S. Ludovici, Rev. DD. Antonius O'Regan et Georgius O. Oertlieb.

A Revmo et Illmo Neo-Aurelianensi, Rev. DD. Nicolaus Perché et Jacobus Dolan.

A Revmo et Illmo Neo-Eboracensi, Adm. Rev. D. Joannes Loughlin, V. G. et Rev. D. Jacobus R. Bayley.

A Revmo et Illmo Cincinnatensi, Adm. Rev. D. Joseph Ferneding, V. G. et Rev. D. Josue M. Young.

A Revmo et Illmo Episcopo Mobiliensi, Rev. D. Jacobus J. Mullon.

A Revmo et Illmo Dubuquensi, Adm. Rev. D. Antonius Pelamourgues, V. G.

A Revmo et Illmo Nashvillensi, Rev. DD. Ludovicus Obermeyer et Joannes B. Byrne.

A Revmo et Illmo Natchetensi, Rev. D. Jacobus Fitton.

A Revmo et Illmo Vehelingensi, Rev. D. Hugo P. Gallagher.

A Revmo et Illmo Zelano, Rev. D. Petrus Kindekens, V. G.

A Revmo et Illmo Galvestoniensi, Rev. D. Eduardus Quigley.

A Revmo et Illmo Pittsburgensi, Rev. DD. Eduardus F. Garland et Alexander J. Peyton.

A Revmo et Illmo Albanensi, Adm. Rev. D. Joannes J. Conroy, V. G.

A Revmo et Illmo Petriculano, Rev. D. Patritius Behan.

A Revmo et Illmo Carolopolitano, Rev. DD. Joannes M. Forbes et Sylvester Malone.

A Revmo et Illmo Bostoniensi, Rev. D. Daniel Hearne.

A Revmo et Illmo Clevelandiensi, Adm. Rev. D. Alexius J. Caron, V. G.

A Revmo et Illmo Buffalensi, Rev. D. Wilhelmus O'Reilly.

A Revmo et Illmo Ludovicopolitano, Rev. D. Carolus J. Boeswald.

A Revmo et Illmo Chicaginensi, Adm. Rev. D. Gualterius J. Quarter, V. G.

A Revmo et Illmo Nesqualensi, Rev. D. Robertus Mullen.

A Revmo et Illmo Montisregis, Rev. P. Thomas Martin, O. P.

A Revmo et Illmo Hartfordensi, Rev. P. Joannes McElroy, S. J.

A Revmo et Illmo Savannensi, Rev. D. Joannes McCaffrey, S. T. D.

A Revmo et Illmo Richmondensi, Rev. D. Larain de Gandarillas.

A Revmo et Illmo Messeniensi, Rev. D. Franciscus Burlando, C. M.

A Revmo et Illmo Agathoniensi, Rev. D. Joannes a Jesu Truxillo.

A Revmo et Illmo Philadelphiensi, Adm. Rev. D. Eduardus J. Sourin, V. G.

Adfuerunt etiam Rev. D. Eduardus L. Damphoux, designatus Notarius, et Adm. Rev. D. Patritius Lynch, Rev. D. Thomas Foley, designati Secretarii.

Cantatis igitur psalmis, litaniis, orationibusque solitis, prout in Pontificali Romano inveniuntur, Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis, S. Sedis Delegatus, sedens cum mitra in plano altaris, ita Patres allocutus est:

Reverendissimi Patres, venerabiles Fratres, placetne vobis, ad Dei gloriam et honorem, et ad Catholicæ Ecclesiæ amplificationem, Concilium Plenarium Baltimorense legitime convocatum, et hic congregatum, hodierno die aperiri et inchoari? Respondentibus autem singulis Patribus: *Placet, aperiatur;* ita versus ad populum, alta voce prosecutus est:

Christi nomine invocato, decernimus sanctum Concilium Plenarium Baltimorense esse apertum, et ita judicamus.

Lecto dein a primo Secretario, ex mandato Illmi et Revmi Archiepiscopi, Officialium designatorum catalogo, juxta schema heri in Consessu privato approbatum, iterum a Patribus quæsivit: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hosce in Officiales Concilii eligendos?* Singuli vero responderunt: *Placet.*

Tum Secretarius, ex mandato Illmi et Revmi Archiepiscopi, decretum de Officialibus clara voce legit:

Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, una cum Archiepiscopis et Episcopis in hoc sancto Concilio Plenario congregatis, hosce Reverendos viros in Officiales hujus Concilii eligendos esse, et legitime jam electos decernunt, nempe: Promotores, Revm̃um et Illm̃um D. Joannem Joseph Chanche, *Ep. Natchetensem, et Adm. Rev.* D. Franciscum Lhomme; *Notarium, Rev.* D. Eduardum Ludovicum Damphoux, S. T. D.; *Secretarios, Adm. Rev.* D. Patritium N. Lynch, S. T. D. *et Rev.* D. Thomam Foley; *Magistrum Cæremoniarum, Rev.* D. Franciscum Burlando, C. M.; *Cantores, Adm. Rev.* D. L. de Goesbriand *et* D. Joannem Dougherty.

Revm̃us et Illm̃us Promotor deinde postulavit ut decreta Tridentina de Professione fidei, et de Residentia, legerentur. Conversus autem Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis ad Patres, eos interrogavit: *Venerabiles Fratres, placetne vobis ut legantur decreta Concilii Tridentini de Professione fidei, et de Residentia?* Respondentibus omnibus unanimiter: *Placet, legantur;* prædicta decreta alta voce perlegit Secretarius secundus. (De prof. fidei, Sess. XXV, cap. 2 bis de Ref. *Cogit.*— De resid. Sess. VI, cap. 1 de Ref. *Eadem S. Synodus;* et Sess. XXIII, cap. 1 de Ref. *Cum præcepto.*)

Absoluta decretorum lectione, fidei professio, juxta formam in Pontificali Romano positam, emissa est.

FORMA JURAMENTI.

"EGO N. firma fide credo et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector."

"Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum

Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor."

"Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio."

"Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat."

"Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ

semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia."

Tandem Congregatione proxima in diem sequentem indicta, et Benedictione ab Illmo et Revmo Archiepiscopo Baltimorensi, clero populoque impertita, omnes eo quo advenerant ordine, sese processionaliter ad ædes Archiepiscopales receperunt.

CONGREGATIO PRIMA PRIVATA,

DIE LUNÆ, 10 MAII, HABITA.

Hora 11 A. M. conveniunt Patres rochettis et mozettis induti in choro ecclesiæ Metropolitanæ, ad congregationem habendam. Adfuere omnes qui heri, præter Galvestoniensem et Ludovicopolitanum qui ægrotabant. Præter Patres, adfuere tantum Concilii Officiales.

Imprimis quæstio agitata est, num Ordinum Religiosorum Congregationumque Superiores, Proceresque, qui huc ad Concilium advenere, ad istas congregationes privatas sint admittendi, necne? Mandatum est Archiepiscopo S. Ludovici, et Episcopis Mobiliensi et Nashvillensi, ut hac in re quid agendum scriptis exponant.

Illmus et Revmus Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, Patribus notum fecit litteras se accepisse, in quibus eorum consilia de sequentibus postulare dignata sit ipsa S. Sedes:

I. Cuinam Sedi Metropoliticæ adjungenda sit, tanquam suffraganea, Sedes Montisregis, olim Archiepiscopi Mexici suffraganea, quamque nuper ab istius provincia segregavit Summus Pontifex?

II. Quid in re Districtus de Covington, Cincinnatensem inter et Ludovicopolitanum agitata, faciendum consulant?

III. Quid super facultatibus extraordinariis, Episcopis in his Provinciis concedi solitis, et quanam ratione grassanti matrimoniorum mixtorum malo occurrendum?

IV. Quid denique faciendum in controversia Archiepiscopum Oregonensem inter et Oblatos?

Prima quæstio ad omnes Archiepiscopos, ut ei responderent, demandata est. De secunda, cum deesset Ludovicopolitanus, non est hodie actum. Tertia demum ad Congregationem de jure canonico, et quarta ad eam de gravaminibus et querelis mandatæ sunt.

Ex mente Buffalensis, onus Buffalensi, Montisregis et Nesqualensi datum est formas precum conscribendi pro conversione acatholicorum istarum Provinciarum.

Item, Congregationi de sacris ritibus munus datum est Cæremoniale, et Cæremoniarum Manuale a Joanne Murphy, anglico sermone luci danda, examini subjiciendi.

Mandatum est Congregationi de gravaminibus et querelis, ut exquirant num justas absentiæ causas proferant ii, qui huic Concilio intervenire debent, nec tamen adsunt.

Tandem statutum est singulis Patribus licere, quibus responderi quæstionibus expedire censent, vel de iis decretum fieri, eas variis Congregationibus, pro diversa materiarum ratione, proponere.

Lectum est decretum: *Monitos volumus præsules.*

Delecti sunt Pittsburgensis et Albanensis, qui Actis a Secretariis latine recte conscribendis invigilarent.

Quum hora advenisset, qua de novis Sedibus erigendis, episcopisque nominandis agendum esset, recesserunt Secretarii.

CONGREGATIO PRIMA PUBLICA,

EODEM DIE, HORA 4 P. M. IN ECCLESIA METROPOLITANA HABITA.

Adfuere Patres omnes, qui mane adfuerant, et insuper Ordinum Religiosorum, Congregationumque Superiores et Proceres, necnon et theologi a Patribus vel adducti, vel designati.

Argumentum erat inter theologos, utrum expediret decretum Concilii Tridentini de matrimonio in hisce Provinciis publicare, necne?

CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA,

DIE MARTIS, 11 MAII, HABITA.

Adfuere Patres omnes qui heri, cum Concilii Officialibus.

Revmus et Illmus D. Archiepiscopus S. Ludovici retulit quid Congregationi particulari de quæstione iis heri commissa videretur. Censuerunt Patres Revmum P. Mariam Eutropium, Abbatem mitratum S. Mariæ de Trappa, de monasterio Gethsemanensi, jus habere Congregationibus privatis matutinis interveniendi; ac mandatum est Pittsburgensi, Carolopolitano et Bostoniensi, ut inquirant num votum decisivum, seu tantum consultivum ferre debeat. Ceterum, reliquis Superioribus jusserunt Patres ut Carolopolitanus et Albanensis comiter significarent, eis tantummodo votum consultivum competere, illudque eos exercere in Congregationibus publicis postmeridianis.

Tunc ad Sedes erigendas, novosque episcopos nominandos sese converterunt Patres, et abierunt Secretarii.

CONGREGATIO SECUNDA PUBLICA,

EODEM DIE, HORA 4 P. M. HABITA.

Adfuere Patres omnes ut mane, et insuper Milwauchiensis qui hodie Baltimorum advenit, quique Rev. P. Antonium Schmidt, C. SS. R. theologum suum designavit.

Adfuere etiam Superiores Ordinum Religiosorum ac Congregationum, necnon et theologi.

Inter theologos disceptatum est de recta juventutis instituendæ ratione, deque scholis catholicis.

CONGREGATIO TERTIA PRIVATA,

DIE MERCURII, 12 MAII, HORA 11, HABITA.

Adfuerunt Patres qui heri; et insuper Ludovicopolitanus, et S. Pauli, qui Baltimorum advenerat.

Pittsburgensis retulit se, ac alios Patres ad hoc delectos, examine facto, judicare Revmo P. Mariæ Eutropio Abbati, nonnisi votum consultivum competere, cum jurisdictionem quasi-episcopalem nullam habeat.

Statutum est supplicandum esse S. Sedi, ut privilegium, vi cujus forma in Rituali Romano posita pro baptismate parvulorum, in hisce Provinciis etiam pro baptismate adultorum uti licet, vel perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

Adveniente hora meridiana, quando de nominationibus erat agendum, discesserunt Secretarii.

CONGREGATIO TERTIA PUBLICA,

DIE 12 MAII, HORA 4 P. M.

Adfuerunt Patres omnes, excepto Galvestoniensi, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi, inter quos Rev. D. Josephus H. Plunkett ab Illmo et Revmo Episcopo S. Pauli delectus theologus.

Argumentati sunt theologi de Societatibus secretis, de ædituis contra Episcopum insurgentibus, de rerum temporalium administratione, de scholis publicis, et de libertate cultus in exercitu et in classe.

CONGREGATIO QUARTA PRIVATA,

DIE JOVIS, 13 MAII, HABITA.

Congregatio ista habita est hora 9 A. M. in ædibus Archiepiscopalibus. Adfuere Patres omnes. Actum est de novis Sedibus erigendis, episcopisque nominandis. Abfuerunt igitur Secretarii. Lata sunt duo decreta quæ incipiunt: *Patres hujus Concilii*, et *Quæ in septem Conciliis.*

SESSIO SECUNDA.

Die Jovis, hora 10 A. M. convenerunt in ecclesia Patres omnes, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi. Missam pro defunctis præsulibus, qui ab ultimo Concilio Provinciali habito, e vita excessere, celebravit Illmus et Revmus D. Episcopus Natchetensis, cui adstiterunt Adm. Rev. D. Marianus Maller, archidiaconus; Rev. D. Alexius J. Elder, diaconus; Rev. D. Henricus Griffin, subdiaconus.

Finita Missa, sermone satis eloquenti prædictos prælatos defunctos, nempe Revm̃um et Illm̃um Samuelem Eccleston, archiepiscopum Baltimorensem; Benedictum Joseph Flaget, episcopum Ludovicopolitanum, et Wilhelmum Tyler, episcopum Hartfordensem, laudavit Revm̃us D. Ludovicopolitanus.

Absolutio a Revm̃o et Illm̃o D. Baltimorensi facta est; qua finita, prælati omnes pluvialia et mitras sumpserunt, et habita est Sessio secunda solemnis, juxta præscripta Pontificalis Romani: hodie tamen nulla lecta sunt decreta.

CONGREGATIO QUARTA PUBLICA,

DIE JOVIS, 13 MAII, HORA 4 P. M. HABITA.

Adfuerunt Patres omnes, cum Superioribus Ordinum Religiosorum, et theologis. Inter hos ventilata est quæstio, num expediret parochos canonicos in hisce Provinciis instituere.

CONGREGATIO QUINTA PRIVATA,

DIE VENERIS, 14 MAII, HORA 11 A. M. HABITA.

Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Archiepiscopis S. Ludovici, Neo-Aurelianensi, et Neo-Eboracensi commissum est, ut scriptis exponant quænam dispensationes circa jejunia quadragesimalia ab Ordinario in diœcesibus Occidentalibus concedi solent.

Similiter Carolopolitano, Buffalensi ac Ludovicopolitano munus datum est catechismi anglico sermone conscribendi, vel saltem ex editis quemdam seligendi, qui eorum cura, si opus sit, emendatus,

per omnes diœceses usu veniat. Absoluto autem opere, catechismum prædictum in manus Baltimorensis tradant, cujus erit, ut a S. Sede approbetur, agere. Quod si catechismum aliquem ex jam editis, illis placuerit seligere, id per litteras omnibus coepiscopis quamprimum significent, ita ut cuique quid sentiat dicendi sit copia.

Mandatum quoque est Philadelphiensi, ut catechismum germanico ore vel conscribat, vel ex jam editis seligat, cum onere illum episcopis omnibus germanice scientibus, et præsertim Baltimorensi, communicandi.

Tandem statutum est nullum in futurum Bibliopolis permittendum, in hujusmodi catechismis luci dandis, privilegii jus.

Dein latum est decretum contra sepulturam Catholicorum in cœmeteriis non consecratis, ubi adest copia eos in cœmeteriis rite consecratis sepeliendi.

Ad Sedium erectionem, et episcoporum nominationem cum se converterent Patres, abierunt Secretarii.

CONGREGATIO QUINTA PUBLICA,

DIE VENERIS, 14 MAII, HORA 4 P. M. HABITA.

Adfuerunt Patres omnes, Superiores Religiosi, et theologi. Inter theologos disceptatum est de parochis canonicis instituendis.

CONGREGATIO SEXTA PRIVATA,

DIE SABBATI, MAII 15, HORA 10 A. M.

Adfuernut Patres omnes.

Lata sunt decreta quæ incipiunt: *Rituale Romanum* et *Manuale Cæremoniarum.* Mandatum

est Ludovicopolitano, Philadelphiensi et Montisregis, ut die Lunæ venturo, Patribus referant quæ in Rituali proxime edendo mutanda, omittenda, vel addenda sint, præsertim de benedictione mulierum ante partum, et de evangeliis legendis, et orationibus recitandis supra ægrotos. Item, utrum expediat S. Sedi supplicare ut Calendarium hodie in ecclesia Romana usitatum ad istas Provincias extendere dignetur.

Latum est decretum quod incipit: *Decretum sextum.*

Congregatio de quæstionibus ad jus canonicum spectantibus, cui delata fuerat quæstio quædam de diebus festivis, hortatu Gubernatoris civilis celebrandis, responderunt morem illum nulli Benedicti XIV Constitutioni adversari.

Eidem Congregationi commissum est referre quid S. Sedi rescribendum ad facultates extraordinarias, præsertim circa matrimonia mixta, aut ubi adest primi gradus affinitatis, vel secundi gradus collateralis consanguinitatis impedimentum.

Relatio ejusdem Congregationis lecta fuit de non publicando decreto Tridentino.

Latum est decretum quod incipit, *Statuunt Patres*, de bannis publicandis; assentientibus viginti tribus patribus, septem e contra dissentientibus.

Mandatum est Albanensi, Pittsburgensi et Galvestoniensi, ut referant utrum expediat S. Sedi supplicare, ut suprema auctoritate erga illas diœceses in quibus Concilium Tridentinum vel certo, vel probabiliter publicatum est, ita dispenset, ut in iisdem eadem sit ac in ceteris diœcesibus de matrimoniis ineundis ecclesiastica lex; assentientibus decem et octo, dissentientibus tredecim.

Iisdem quoque mandatum est ut hisce quæstionibus, a Revmo et Illmo D. Archiepiscopo Neo-Eboracensi propositis super bannis publicandis, respondeant: 1. Quid faciendum in casu quo illius qui matrimonium contrahere vult, parentes et consanguinei in urbe domicilium habent, ipse vero jam forsan ab annis aliquot alibi victum labore quærit, ac matrimonio inito, eodem reversurus est? 2. Quid faciendum de his qui intra limites unius districtus domicilium habent, sed sede in ecclesia alius districtus locata, inter illius ecclesiæ fideles numerantur? 3. Quomodo reputandum domicilium eorum, quibus mos est quotannis de domo in domum transire, quique rarissime per trium annorum spatium in eadem domo manere solent?

Dein, cum de nominationibus esset agendum, abierunt Secretarii.

Horis postmeridianis nulla habita est Congregatio publica.

SESSIO TERTIA SOLEMNIS.

Die Dominica, Maii 16, hora 10 antemeridiana, facta est processio ab ædibus Archiepiscopalibus ad Cathedralem ecclesiam, eodem ac Dominica anteriori ordine. Missam solemnem celebravit Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Oregonensis, cui adstiterunt Adm. Rev. P. Bernardus J. Hafkenscheid, C. SS. R. archidiaconus; Rev. P. Antonius Schmidt, C. SS. R. diaconus, et Rev. D. H. Griffin, subdiaconus. Diaconi vero prope thronum Illmi et Revmi Archiepiscopi Baltimorensis fuere Adm. Rev. P. Patritius E. Moriarty, O. S. A. Ass. Gen. et Rev. D. Joannes McCaffrey,

S. T. D. Magistro Cæremoniarum Rev. D. Francisco Burlando, C. M.

Absoluto Sacro, concionem ad populum habuit Illmus et Revmus D. Pittsburgensis; qua finita, habita est Sessio tertia solemnis, juxta præscripta Pontificalis Romani pro Sessione secunda synodi.

Decreta a Patribus hucusque lata, publice lecta sunt a primo Secretario. Tum Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, instante Revmo Promotore, ita Patres allocutus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt decreta approbare, et confirmare?* Responderunt omnes: *Placet, approbamus, confirmamus.*

Data tunc a Revmo Præside benedictione, finis huic Sessioni imposita est, et omnes processionaliter ad ædes Archiepiscopales reverterunt.

Horis postmeridianis nulla habita est Congregatio publica.

CONGREGATIO SEPTIMA PRIVATA,

DIE LUNÆ, MAII 17, HORA 11 A. M. HABITA.

Adfuere Patres omnes cum Concilii Officialibus.

Revmus et Illmus D. Pittsburgensis ex Congregatione de jure canonico retulit Congregationem istam censere oportere amplas facultates a S. Sede postulari, præsertim super matrimoniis mixtis, et dispensationibus in casu impedimenti ex primo gradu affinitatis, et secundo gradu collateralis consanguinitatis orti; et Patres eidem onus dedere epistolam eo sensu ad S. Sedem mittendam conscribendi. Voluerunt quoque in eadem epistola peti, ut non juramentum, sed tantum solemnis promissio tam a

catholica quam ab acatholica parte, de conditionibus servandis, sit deinceps exigenda.

Certiores fecit Patres Revm̃us Promotor Secretarium primum, ex ejus mandato, ad Rev. D. Timotheum O'Brien sabbato scripsisse, eique notum fecisse judicium à Patribus in negotio eum inter et Revm̃um D. Richmondensem latum, prædictumque Secretarium responsum a Rev. D. T. O'Brien accepisse, quod lectum est. Secretario mandaverunt Patres, ut iterum prædicto Rev. Domino rescribat, eos judicio lato adhærentes de sua submissione gaudere. Hoc vero die Mercurii sequenti fecit.

Adveniente hora qua de nominationibus esset agendum, abierunt Secretarii.

CONGREGATIO SEXTA PUBLICA,

DIE LUNÆ, MAII 17, HORA 4 P. M. HABITA.

Adfuere Patres omnes, Ordinum Congregationumque Superiores, et theologi.

Theologi disceptarunt de curriculo studiorum in Seminariis instituendo, de parœciis, et de vagorum matrimoniis.

CONGREGATIO OCTAVA PRIVATA,

DIE MARTIS, 18 MAII, HORA 10 A. M. HABITA.

Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Imprimis legit Pittsburgensis epistolam de facultatibus extraordinariis, ad S. Sedem mittendam, juxta voluntatem Patrum heri indicatam, conscriptam. Voluerunt quidam ut in eadem epistola S. Sedem orarent ut suprema sua potestate obligationem decreti Tridentini de matrimoniis clandestinis

tollat quoad diœceses in quibus vel certo vel probabiliter fuerit ullo tempore publicatum; sed in hoc consilium noluerunt Patres ire.

Plura relata sunt a Ludovicopolitano ex Congregatione particulari de nova editione Ritualis Romani in lucem danda; sed re mature agitata, noluerunt de ea conciliariter agere.

Latum est decretum quod incipit: *Statuunt Patres ritus sacros.*

Lecta est epistola Revmi et Illmi Torontini, qua gratias Patribus agit pro humanitate qua eum exceperant, eisque gratulatur de Concilio habito.

Tunc lata sunt sequentia decreta: *Hortantur Patres ut ubique*, de pia ad propagandam fidem Societate in hisce Provinciis instituenda; *Monemus sacerdotes*, de ædituorum electione; *Hortamur episcopos*, de scholis instituendis; *Hortandos episcopos*, de sacerdotum concilio adhibendo; *Quoniam quæ Deo*, de bonis temporalibus.

Quum Illmus et Revmus D. Montisregis exponeret magnam pecuniæ summam ad Missiones in California sustentandas olim erogatam Gubernio civili Mexici, prout ferebant leges Hispanicæ, fuisse locatam, ut illius fructus quotannis Missionariis solverentur, quod tamen a multis annis factum non est, nec amplius expectari sinunt reipublicæ mutatæ fortunæ; quumque insuper potestas civilis in California illam pecuniam ad usus publicos usurpandam ab ærario Mexicano postulare cogitet, ipse a Patribus quærebat quid hac in re opportunum sit fieri. Voluerunt Patres Congregationem de jure canonico, re mature perpensa, ei consilio esse.

Relatio ejusdem Congregationis de iis qui impedimenta matrimonii celant, necnon et alia de juventu-

tis institutione lectæ sunt: sed utramque quæstionem seposuerunt Patres. Item, alia relatio ejusdem Congregationis de mulctis imponendis in dispensationum concessione, lecta est: sed negotium istud melius Conciliis Provincialibus relinquendum duxerunt.

Tandem Congregatio de gravaminibus relationem attulerunt de querelis contra Ludovicopolitanum, propter ejus agendi rationem super cœmeterio quodam Germanorum. Secretarium jusserunt Patres iis qui querelas suscitarant respondere, juxta verba prædictæ relationis, Revm̃um et Illm̃um D. Ludovicopolitanum in eo negotio nonnisi juris canonici præceptis, et Conciliorum Baltimorensium statutis obtemperasse. Hoc Secretarius die Jovis perfecit.

Dein, quum de novis Sedibus esset agendum, abierunt Secretarii.

CONGREGATIO SEPTIMA ET ULTIMA PUBLICA.

Adfuerunt Revm̃i Archiepiscopi et Episcopi omnes, Ordinum Religiosorum Superiores, et theologi.

Inter theologos iterum argumentum erat de parœciarum institutione, et de districtuum ecclesiasticorum partitione.

Antequam huic Congregationi ultimæ publicæ finis imponeretur, Revm̃us et Illm̃us D. Archiepiscopus Baltimorensis blande theologos allocutus est, eorumque diligentiam doctrinamque in gravissimis argumentis agitandis, modestiamque in sententiis edicendis præclaram, amplissimis verbis commendavit.

CONGREGATIO NONA PRIVATA,

DIE MERCURII, MAII 19, HORA 10 A. M. HABITA.

Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Lecta est epistola ad SS. D. Papam, nomine Concilii mittenda, quam quum approbassent Patres, voluerunt eam nitide conscribi, ita ut post Congregationem postmeridianam, singuli ei subscribere possint.

Latum est decretum, *Quum sapientissimo consilio.*

Propositum fuit Societates ad scholas catholicas sustentandas instituere; sed votis Patrum exquisitis, dum quindecim statuendas vellent, sexdecim in partem contrariam iverunt.

Lata sunt decreta sequentia: *Visum est Patribus valde expedire*, de Cancellariis statuendis; *Consulimus Episcopis*, de Seminariis ecclesiasticis; *consulendum episcopis ut in suis*, de librorum examine; *Ne de vi et obligatione*, de promulgatione decretorum hujus Concilii.

Proposito quodam decreto de cœmeteriis, illud sancire noluerunt Patres: pariter Societatem ad jura fidelium tuenda instituere recusarunt.

Pittsburgensi, Carolopolitano et Ludovicopolitano onus datum est curriculum studiorum satis amplum designare, cui Seminariorum ecclesiasticorum alumni sese dent.

Tunc, quum de nominationibus esset agendum, recesserunt Secretarii.

CONGREGATIO DECIMA PRIVATA,

DIE MERCURII, MAII 19, HORA 5 P. M. HABITA.

Habita est hæc Congregatio in ædibus Archiepiscopalibus. Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Lata sunt decreta sequentia: *Hortantur Patres ut ubique*, de piæ ad propagandam fidem Societatis in hisce Provinciis institutione; *Commendamus fidelibus*, de precibus pro conversione acatholicorum; *Expedit episcopos normam*, de censuris ferendis; *Societates omnes*, de Societatibus quibusdam laicorum; *Hortandos episcopos*, de consilio sacerdotum adhibendo; *Patres censuerunt*, de ratione rerum temporalium ecclesiarum administrationis quotannis exigenda; *Moneant episcopi sacerdotes*, de scholarum cura.

Iterum lecta sunt ista et multa ex decretis jam latis, ut cuique copia esset emendationes proponendi.

Iterum perlectæ sunt et approbatæ epistolæ sequentes:

Epistolæ tres ad summum Pontificem.

Epistola una ad Emum Principem Jacobum Philippum, S. R. E. Cardinalem Fransoni, S. Congregationis de Propaganda Fide Præfectum.

Epistola Pastoralis ad clerum populumque harum Provinciarum.

Epistola a Mobiliensi, gallico sermone conscripta, ad piam ad propagandam fidem Societatem.

Epistola a Philadelphiensi, germanico sermone, ad piam Leopoldinam, aliasque Germaniæ Societates, scripta.

Epistola a D. Montisregis ad Illmum et Revmum Archiepiscopum Mexici.

Dein, quum de novis Sedibus esset agendum, recesserunt Secretarii.

Circa finem istius Congregationis, recedente Illmo et Revmo D. Præside, Patres ex consilio Revmi et Illmi D. Archiepiscopi Cincinnatensis, noluerunt finem huic Concilio imponere quin Revmo et Illmo D. Archiepiscopo Baltimorensi, Sedis Apostolicæ Delegato, gratias maximas agerent.

CONGREGATIO UNDECIMA ET ULTIMA PRIVATA,

DIE JOVIS, MAII 20, FESTO ASCENSIONIS D. N. J. C. HORA 9½ IN ÆDIBUS ARCHIEPISCOPALIBUS HABITA.

Adfuerunt Patres omnes cum Officialibus.

Perlecta sunt reliqua ex decretis jam latis, ut cuique Patrum liceret emendationes proponere, aut verba limare.

Lecta quoque est, et approbata epistola ad Illmum et Revmum D. Paulum Cullen, Archiepiscopum Armacanum, Primatem totius Hiberniæ, a Baltimorensi conscripta, quum ab ea conscribenda sese heri excusasset Cincinnatensis.

SESSIO QUARTA SOLEMNIS,

DIE JOVIS, MAII 20, QUI ERAT FESTUM ASCENSIONIS D. N. J. C.

Hora 10½, facta est processio Patrum omnium, Ordinum Religiosorum, Congregationumque Superiorum, theologorum et multorum sacerdotum, eodem ac Dominicis præteritis ordine, ab ædibus Archiepiscopalibus ad ecclesiam Metropolitanam. Missam Pontificalem celebravit Illmus et Revmus

D. Neo-Aurelianensis, cui adstiterunt archidiaconus, Adm. Rev. D. F. Lhomme; diaconus, Rev. D. Eduardus Quigley; subdiaconus, Rev. A. J. Elder: diaconi vero prope thronum assistentes fuere Adm. Rev. D. H. B. Coskery, et Rev. D. T. Foley.

Absoluta Missa, concionem ad populum habuit Illmus et Revmus D. Bostoniensis. Dein cantati sunt psalmi et orationes juxta præscripta Pontificalis Romani pro ultima Sessione.

His finitis, Secretarius alta voce perlegit decreta omnia, iis exceptis quæ Dominica præcedenti lecta et approbata fuerunt. Tunc instante Revmo Promotore, Revmus et Illmus Archiepiscopus Baltimorensis Patres allocutus est: *Placetne vobis, venerabiles Fratres, hæc quæ lecta sunt decreta approbare, et confirmare?* Omnibus autem respondentibus, *Placet, approbamus, confirmamus;* ex mandato ejusdem Revmi Præsidis, id proclamavit Secretarius, his verbis:

Nos, Franciscus Patritius, Archiepiscopus Baltimorensis, et Sedis Apostolicæ Delegatus, aliique Archiepiscopi et Episcopi, in hoc sacro Concilio Plenario adunati, decreta hæc quæ mox lecta sunt, approbamus, et confirmamus.

Deinde Patres omnes decretis super altare majus positis nomina juxta ordinem subscripsere.

Revmus et Illmus D. Baltimorensis tunc a Patribus petiit, num eis placeret decreta ista ad pedes SSmi D. N. Papæ per manus Chicaginensis deferri, ut S. Sedis revisioni et recognitioni subjiciantur: cui omnes lubenter assensum præbuerunt.

Illmus et Revmus D. Archiepiscopus Neo-Eboracensis surgens inter Patres, tunc nomine omnium

gratias amplissimas Revmo Baltimorensi, Delegato Sedis Apostolicæ, egit, eique et omnibus de Concilio ad tam felicem exitum perducto, verbis gravissimis, et ad commovendos animos aptissimis, gratulatus est. Revmus et Illmus D. Baltimorensis quum ei respondere vellet, lacrymis sermonem abrumpere coactus est.

Revmus Promotor tunc petiit finem Concilio imponi: Revmus autem Archipræsul Patres interrogavit: *Venerabiles Fratres, placetne vobis, ad Dei omnipotentis laudem, hujus Concilii Plenarii finem jam fieri?* Respondentibus singulis, *Placet;* ita prosecutus est Secretarius:

Nos Franciscus Patritius, Archiepiscopus Baltimorensis, Sedis Apostolicæ Delegatus, aliique Patres qui huic Concilio Plenario intersumus, quum absoluta sint quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur, quumque pastoralis cura ad Ecclesiarum nostrarum status et pastorales vigilias revocet, propterea huic sancto Concilio finem imponi censuimus.

His peractis, et stantibus omnibus, factæ sunt Acclamationes.

ACCLAMATIONES.

Archidiaconus. Regi seculorum immortali, Omnipotenti DEO, sempiternus honor et æterna gloria.

Chorus. Dignus est Dominus Deus noster accipere gloriam, et honorem, et benedictionem in secula seculorum.

Archid. Sanctissimæ et Immaculatæ Virgini, Dei genitrici Mariæ, reverentia, laus, et piissima gratulatio.

Chorus. Beatam illam dicant omnes generationes, et sit benedicta in æternum.

Archid. Beatissimo Pio Papæ, successori principis apostolorum, totius Ecclesiæ capiti, ac vero Christi in terris vicario, pax a Deo, et omnimoda prosperitas.

Chorus. Effundat super eum Deus noster abundantes divitias gratiæ suæ, tantumque pontificem diu Ecclesiæ suæ sospitem et incolumem servet.

Archid. Revmo Archiepiscopo Baltimorensi, Sedis Apostolicæ delegato, et hujus Concilii Plenarii præsidi, cum multis annis plurimæ gratiæ.

Chorus. Jam in præsenti tempore accipiat benedictionem a Domino, et in futuro seculo coronam gloriæ.

Archid. Revmis Archiepiscopis et Episcopis qui ad hoc celebrandum Concilium accesserunt, incrementum donorum cœlestium, et felix ad suas ecclesias reditus.

Chorus. Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus illis.

Archid. Admodum Rev. Abbatibus et Communitatum Superioribus, ac theologis, qui præsentia, doctrina, laboribus, patres Concilii tam egregie juverunt, magnæ grates, et bona in Christo memoria.

Chorus. Magnæ grates, bona memoria: Dominus retribuat.

Archid. Cunctis fidelibus nostrarum Provinciarum, ac universo populo Christiano, gratia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

Chorus. Ipse Deus pacis sanctificet eos per omnia, ut quietam et tranquillam vitam agant in omni pietate, castitate, ac praxi bonorum operum.

Archid. Decreta hujus sanctæ synodi assidua veneratione prosequamur, et fideliter custodiamus.

Chorus. Semper veneremur, semper custodiamus.

Archid. Juxta monitum apostolicum et propheticum, satagamus nos, fugientes mundi corruptionem, constanter adhærere Deo, donec occurramus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi, et in terram viventium.

Chorus. Amen, amen.

Tum denique cantatus est ab omnibus hymnus *Te Deum*, necnon ab Archiepiscopo Baltimorensi præscriptæ Orationes; et impertita ab eodem solemni benedictione, omnes processionaliter ad ædes Archiepiscopales reversi sunt.

DECRETA CONCILII.

I. PATRES hujus Concilii Plenarii, ex omnibus Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis congregati, præside Archiepiscopo Baltimorensi tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, summum quo Sedem Apostolicam Romanam prosequuntur, obsequium profitentur: agnoscunt quippe, juxta definitionem in Concilio Florentino promulgatam, Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potes-

tatem traditam esse. Beatissimum igitur Pontificem Pium IX, caput totius Episcopatus agnoscunt divino jure constitutum, ejusque esse fratres in fide confirmare, quum unus sit omnium pastor.

Doctrinam insuper, quam ab Apostolis traditam in Ecclesia Romana constat semper esse servatam per Episcoporum successionem, profitentur integram, prout in Conciliorum Œcumenicorum, præsertim Tridentini decretis, et in Summorum Pontificum constitutionibus explicata est.

II. Quæ in septem Conciliis Baltimorensibus decreta sunt, ad omnes diœceses Fœderatorum Statuum, et regionum omnium generali Gubernio subditarum, extendi statuimus, eaque ubique vim obtinere.

III. Rituale Romanum, jam adoptatum a Concilio primo Baltimorensi, accurate servandum in sacris muneribus peragendis ubique in diœcesibus Statuum Fœderatorum decernimus, vetantes districte ne consuetudines ritusve a Romanis alieni introducantur. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum; vel etiam in cœmeteriis profanis, quando adsunt cœmeteria catholica.

IV. Manuale Cæremoniarum et librum Cæremonialem, jussu Concilii Baltimorensis primi præparata, et Gregorio PP. XVI, fel. me. probata, quæ emendatiori stylo iterum in lucem edita sunt, præmissa etiam rituum explicatione, ubique per omnes Fœderatos Status adhibenda statuimus.

V. Monitos volumus præsules omnes qui aliqua ex causa e suis diœcesibus ad tempus recedunt, "legitimæ absentiæ causas," juxta Tridentini Concilii decretum (*Sess.* XXIII, *Cap.* 1, *de Ref.*) "a beatissimo Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere." Quæ Tridentini Patres de absentia propter munus publicum addiderunt, recitanda haud duximus, quum hisce in regionibus nullum hujusmodi munus sit episcopatibus adjunctum.

VI. Hortandos episcopos Patres censuerunt, ut, ubi fieri poterit, in suis diœcesibus aliquos sacerdotes ætate, scientia, vitæ integritate, et rerum agendarum peritia conspicuos seligant, quos Consultores constituant, et quorum sententias in administratione diœceseos, cum opus fuerit, exquirant. Laudandam etiam censuerunt consuetudinem alicubi vigentem Consultores singulis saltem mensibus, die determinato, convocandi, ut quæ ad diœcesim pertinent discutiantur.

VII. Visum est Patribus valde expedire ut in unaquaque diœcesi Cancellariam statuat ordinarius, pro faciliore rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in iis negotiis agendi normam consequendam.

VIII. Consulendum episcopis, ut in suis quisque diœcesibus unum aut plures sacerdotes scientia theologiæ insignes designent, qui examini subjiciant libros precum, aut aliter ad religionem pertinentes, priusquam ab ordinario aut vicario ejus generali approbatione fidelibus commendentur. Optandum etiam ut praxis aliorum quam Ordinarii loci ubi hujusmodi libri publici juris fiunt, approbationem petendi in desuetudinem abeat.

IX. Ne sacerdotes vagi et ignoti nimis facile admittantur ad sacra munera obeunda cum animarum periculo, nolumus sacerdotes ex Europa advenientes in clerum nostrum cooptari, nisi litteris suorum episcoporum prius missis, consensum episcopi in cujus diœcesim transire desiderant, obtinuerint.

X. Valde expedit districtus ecclesiasticos intra certos limites designare; necnon regulas de sacerdotum jurisdictione privilegiisque, ordinarios, quamprimum fieri potest, sancire. Hos tamen districtus, secundum rerum adjuncta episcopi mutare possunt, et eorum est definire quarum ecclesiarum sacerdotibus hæc munera pro tempore adnecti debeant.

XI. Statuunt Patres in omnibus harum Provinciarum diœcesibus, post festa paschalia anni proxime venturi, Banna matrimoniorum publicanda esse. Ordinarios vero hortantur ut ne hac in re, nisi gravissimis de causis, dispensent.

XII. Moneant episcopi sacerdotes curam animarum exercentes, ut institutioni juventutis in doctrina christiana per se operam dent, nec putent

ipsis licere quæ sui muneris sunt negligere, rejecto omnino in alios onere juvenes, aliosque rudes, fidei morumque principia edocendi.

XIII. Hortamur episcopos, et attentis gravissimis malis quæ ex juventute haud rite instituta sequi solent, per viscera misericordiæ Dei obsecramus, ut scholas unicuique ecclesiæ in eorum diœcesibus annexas, instituendas curent; et si opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, provideant ut ex redditibus ecclesiæ cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur.

XIV. Consulendum episcopis qui propria seminaria non habent, ut collatis consiliis cum aliis episcopis ejusdem Provinciæ, unum saltem seminarium in unaquaque Provincia constituant.

XV. Patres censuerunt omnino expedire, ut juxta mentem Concilii Tridentini (*Sess.* XXII, *Cap.* 9, *de Ref.*) ordinarius, aut per se, aut per sacerdotem, cui hac in parte vices suas committat, ab administratoribus rerum ecclesiæ temporalium, sive laicis, sive clericis, rationem eorum administrationis singulis annis exigat.

XVI. Quoniam quæ Deo sunt donata in cultum divinum et opera charitatis, in Ecclesiæ transeunt potestatem, cujus est invigilare ut donatorum pia voluntas fideliter impleatur, ideoque sacris canonibus a laicorum usurpatione sæpius vindicata sunt; districte vetamus ne laici sese ingerant iis administrandis, absque episcoporum libero consensu. Quod si eorum injussu eas usurpent, et ad suos usus di-

vertant, vel alia quacumque ratione, donatorum voluntatem frustrentur et fraudent, vel quæ fidei et curæ episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, etiam legis præsidio, conentur, eos pœnis a Tridentinis Patribus irrogatis rerum Ecclesiæ usurpatoribus (*Sess.* XXII, *Cap.* 11, *de Ref.*) ipso facto subjacere decernimus, et declaramus.

XVII. Monemus sacerdotes qui ecclesias administrant, quarum titulus episcopis traditus est, ne ædituos in iis absque episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne liberæ earum administrationi impedimentum aliquod nascatur.

XVIII. Statuunt Patres ritus sacros pro benedictione SS. Sacramenti, in Cæremoniali et Manuali jam præscriptos, ab omnibus in hisce Fœderatis Provinciis stricte esse observandos.

XIX. Quum sapientissimo consilio per leges ac statuta harum Rerumpublicarum cautum sit, ne potestas secularis ullum usurpet jus sese in rebus sacris immiscendi, meminerint episcopi, quo maxime possunt studio, apud Auctoritatem civilem laborandum, prudenter tamen, prout Dominus suggesserit, ne unquam catholici, qui vel militiæ vel classi adscripti sunt, cultui acatholicorum contra suam conscientiam adesse cogantur.

XX. Hortantur Patres ut ubique per hasce Provincias pia ad propagandam fidem Societas extendatur ac promoveatur, quæ in Galliis cum tanto religionis profectu existit.

XXI. Commendamus fidelibus ut Societatem ineant, preces fundendi causa, ad acatholicorum omnium qui nobiscum versantur patriæ necessitudine conjuncti conversionem, ut erroribus omnibus rejectis, uno ore glorificent Deum, in fidei unitatem concurrentes. Porro supplicandum Summo Pontifici duximus, ut indulgentiarum concessione foveat hoc pium studium, eas omnibus tribuens qui eum in finem preces fundunt.

XXII. Visum est Patribus a S. Sede humiliter petendum, ut pro harum Provinciarum necessitudinibus facultates extraordinarias circa matrimonia, etiam delegandas si opus sit, concedere dignetur.

XXIII. Quoniam gravissimæ rationes a Patribus Concilii primi Baltimorensis Provincialis, A. S. 1829 allatæ, dum a SSmo Patre peterent ut pro baptizandis adultis ea in hisce Provinciis uti liceret forma quæ in Rituali Romano pro baptismate parvulorum invenitur, adhuc vigent, immo in dies graviores evasuræ videntur; statuunt Patres S. Sedi supplicandum esse, ut privilegium tunc ad viginti annos juxta Patrum preces concessum, nunc perpetuum fiat, vel saltem ad viginti annos iterum concedatur.

XXIV. Decretum sextum Concilii Baltimorensis Provincialis VII intelligendum declaramus de iis qui temere conjunguntur coram præcone acatholico, contra leges ecclesiasticas quæ vetant communionem in divinis cum hæreticis, et usurpati muneris sacri agnitionem. Nolumus sacerdotes suam operam præstare iis quos noverint ministellum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui fœdere

sic inito, absque pœnitentiæ indiciis benedictionem sacerdotalem petunt.

XXV. Ne de vi et obligatione decretorum hujus Concilii oriatur dubitatio, declaramus ea pro promulgatis habenda esse quando fuerint in lucem edita, ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, post eorum a S. Sede revisionem et recognitionem.

Baltimori, festo die Ascensionis, qui fuit 20 Maii 1852.

† Ego Franciscus Patritius, *Archiep. Baltimorensis, Sedis Apostol. Delegatus, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Norbertus, *Archiep. Oregonopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Ricardus, *Archiep. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego Antonius, *Archiep. Novæ Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Archiep. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Archiep. Cincinnatensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego Mathias, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego Ricardus Pius, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Joseph, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego Ricardus Vincentius, *Episc. Vehelingensis, definiens subscripsi.*

† Ego Petrus Paulus, *Episc. Zelanus, Coadjutor Administrator Detroitensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Maria, *Episc. Galvestoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Michael, *Episc. Pittsburgensis, definiens subscripsi.*

† Ego Andreas, *Episc. Petriculæ, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Albanensis, definiens subscripsi.*

† Ego Ignatius Aloysius, *Episc. Carolopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Martinus, *Episc. Milwauchiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Bernardus, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Amedeus, *Episc. Clevelandiensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Buffalensis, definiens subscripsi.*

† Ego Martinus Joannes, *Episc. Ludovicopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego Jacobus Olivarius, *Episc. Chicaginensis, definiens subscripsi.*

† Ego Augustinus M. A., *Episc. Nesqualensis, definiens subscripsi.*

† Ego Josephus Sadoc, *Episc. Montisregis, definiens subscripsi.*

† Ego Bernardus, *Episc. Hartfordensis, definiens subscripsi.*

† Ego Franciscus Xaverius, *Episc. Savannensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes, *Vic. Apost. Novi Mexici, Episc. Agathoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego Josephus, *Episc. Sancti-Pauli, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Baptista, *Episc. Messeniensis, Vicarius Apostol. ad orientem Montium Saxosorum, definiens subscripsi.*

† Ego Joannes Nepomucenus, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

Patritius N. Lynch, S. T. D.
Vic. Gen. Caropol., Secretarius.

Ego Eduardus L. Damphoux, S. T. D. hujus Plenarii Concilii Notarius, testor hæc Decreta Actaque lecta fuisse, et probata in Sessionibus solemnibus, in ecclesia Metropolitana S. Mariæ Baltimorensi, diebus 16, et 20 quæ fuit festum Ascensionis D. N. J. C. Anno Dñi 1852.

E. L. Damphoux, S. T. D. *Notarius.*

EPISTOLA

PATRUM CONCILII UNA CUM DECRETIS AD SUMMUM PONTIFICEM MISSA.

BEATISSIME PATER,

EX vastæ hujus regionis disjunctis plagis, ad Concilium Plenarium habendum convenientes, ab ipso primo momento ad te, Beatissime Pater, mentis oculos convertimus. Si enim Christum Dominum deliberationibus nostris præesse velimus, quem alium ducem habere possemus, quam illum cui Salvator ipse, ovium simul et agnorum curam commisit, et quem ad fratres confirmandos præ omnibus elegit?

Gratum procul dubio paterno cordi tuo erit, audire quanta in hac parte vineæ, ad nominis sui gloriam promovendam agat Deus. Veram fidem undique annuntiari; oblationem mundam ubique offerri; ubi ante aliquot annos Dei nomen penitus ignotum, ibi nunc illum in spiritu et veritate adorari lætamur. In hac ipsa Metropolitana urbe, in qua, infra memoriam adhuc luce fruentium, sacerdos de longe veniens pusillum gregem raro per annum solabatur, ecclesias nunc plures ac frequentissimas, instituta pia non pauca florescere cernimus. Nec in ista civitate tantummodo, sed ubique laboribus nostris uberrimos fructus concedere dignatus est Deus. Infantula Ecclesia intra unius vitæ spatium tale incrementum accepit, ut ex ea nedum in diœceses, sed et in provincias divisa, sex Archiepiscopi ac viginti sex Episcopi ad Concilium celebrandum convenerimus.

Antequam vero ad ecclesias nostras revertamur, vehementer desideramus animorum nostrorum sensus tibi, Beatissime Pater, aperire. Cupimus etenim amorem et reverentiam et obedientiam erga te et Sedem tuam Apostolicam, qua repleti sumus, tanquam hæreditatem pretiosissimam, quam præ omnibus aliis maximi habemus, ultimis posteris peculiari affectu commendare. Nil enim ad fidem firmandam, et ad pietatem quæ ex fide exurgit urgendam, magis conducere novimus, quam amorem et obedientiam filialem erga Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, fovere.

Sive antiquorum temporum monumenta, sive ætatis nostræ historiam evolvimus, ubique per Petrum fidei lumen servatum videbimus, et hæreses et schismata tunc tantum orta, cum imminuta erga Sedem Apostolicam reverentia, erroribus et vitiis via patebat. Frustra virtutes et præclara gesta majorum, frustra terram martyrum sanguine madidam, frustra antiquæ pietatis monumenta appellabant illi, apud quos reverentia ista amorque frigescebat. Elanguescere primo fides visa est, serius omnino emori: *humanæ* factæ sunt ecclesiæ illæ, et divina amissa virtute, non tam ad viam salutis ostendendam ecclesiæ, quam larvæ ad illudendum esse videbantur.

Factum quidem est quandoque, misericordia divina, ut felicior esset rerum exitus. Hoc autem ea tantum de causa evenit, quod tandem aliquando restituto avito Sedis Apostolicæ amore, salus inde petebatur, unde Ecclesiarum vitam fluere Deus decreverat.

Etiam tum, quum tu, Beatissime Pater, a sepulchris Apostolorum exulares, et prudentes hujus sæculi nil nisi pericula viderent, omnes admirati

sumus fortitudinem, sapientiamque qua Ecclesiam tibi commissam moderabaris, clareque in actis tuis perspeximus lucem a Domino promissam, non modo non imminui, sed pro temporum difficultate magis magisque splendescere. Quamvis enim plurimis et immensis esses calamitatibus pressus, verbum Domini non fuit alligatum, sed a Petri cathedra procedens, lumen veritatis, pietatisque fervorem ubique diffudit, simile solis radio, ut ait S. Chrysostomus, cui vincula conjici nequeunt.

Inter plurima autem tunc a te præclare gesta peculiari affectu in mentem revocamus, te periculis quibus ipse premebaris non fuisse impeditum quin ad illustrem Hiberniæ Ecclesiam a scopulis in quos impelli videbatur eripiendam, animum intenderes. Et, si laqueus, quem Ecclesiæ hostes extendebant contritus est, et fideles liberati, id tibi, beatissime Pater, et venerationi erga Sedem tuam, quam a majoribus didicerunt, omnino tribuendum novimus.

Non leve autem, tot inter ploranda ætatis nostræ mala, exinde solamen derivatur, quod, quo magis pericula imminere videntur, eo arctius contrahuntur vincula quæ fideles ubique diffusos cum Sede Apostolica conjungunt, eoque ferventius Ecclesiæ filii ad Sedem Apostolicam conveniunt, et veluti infantes sese in gremium matris conjiciunt, a qua cibum et tutamen expectant.

Qui cum animorum nostrorum sensus sint, ex corde cupimus eam Ecclesiarum nostrarum præcipuam laudem fore, ut Sedem Apostolicam summa semper et peculiari reverentia colant, diligantque. Ad pedes tuos interea provoluti, ut nobis, et clero populoque curæ nostræ commisso benedicas enixe precamur.

Baltimori, die 19 Maii 1852.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PRO DECRETORUM SYNODI PLENARIÆ APPROBATIONE.

IN generali S. Congregationis conventu, die 30 Augusti 1852, referente Emõ ac Revmõ D. Raphaele Cardinali Fornari, proposita fuerunt Decreta Synodi Plenariæ Baltimorensis, habitæ mense Maio hujus item anni, præsidente Sedis Apostolicæ Delegato R. P. D. Francisco Patritio Kenrick, Archiepiscopo Baltimorensi. Omnibus vero mature perpensis, Emi Patres, præscriptis emendationibus nonnullis juxta peculiarem instructionem eidem Delegato Apostolico traditam, prædictæ Synodi Decreta probanda censuerunt.*

* Supervacaneum est monere decreta, priusquam evulgarentur, ad tramitem præfatæ instructionis emendata fuisse. Ceterum inter ea quæ S. Congregatio notanda censuit, hæc quæ sequuntur hic exscribere operæ sane pretium est.

Censuit igitur S. Congregatio hortandos esse Episcopos ut festis in usu adjungenda curent festum Circumcisionis D. N. J. C., quum constet eo dei omnes ferme acatholicos etiam ob ineuntis anni lætitiam ab operibus servilibus abstinere; necnon Conceptionis Immaculatæ B. M. V. festum: eo enim titulo juxta vota veluti Patrona Principalis tradita est. Ceterum, deprehendatur licet quoad festa et jejunia discrimen aliquod inter nonnullas provincias ac diœceses, æquum tamen haud videtur ut ex eo quod in nonnullis locis minori numero festa vel jejunia vigeant, idcirco minui etiam debeant, ubi juxta universalis Ecclesiæ disciplinam alia adhuc servantur. Studium porro Episcoporum non eo est dirigendum ut diœceses istæ omnes uniformes evadant in iis quæ difformia sunt ab universalis Ecclesiæ disciplina, id siquidem incongruum esset, et *Nationalis* Ecclesiæ speciem facilius ingereret. Ob difficilia rerum adjuncta, gravibusque de causis, annuit Apostolica Sedes, ut in nonnullis disciplina, seu commune jus Ecclesiasticum relaxaretur: at id fit per modum tolerantiæ, ac provisoria ratione, neque derogationes hujusmodi sunt magis firmandæ, atque extendendæ: sed potius adnitendum omni ope ut universalis disciplinæ observantia paulatim restitui valeat.

Hanc vero S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Pio PP. IX ab infrascripto Secretario relatam in Audientia diei 5 Septembris ejusdem anni, Sanctitas Sua ratam habuit, ac decretum ea de re expediri permisit.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. C. de Propag. Fide, die 26 Septembris 1852.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabo, *a Secretis.*

DECRETUM

QUO PROROGATUR FACULTAS ADULTOS EADEM AC PARVULOS FORMA BAPTIZANDI.

ARCHIEPISCOPI et Episcopi Plenarii Concilii Baltimorensis SSmum Dñum Nostrum Pium PP. IX obsecrandum censuerunt ut, permanentibus adhuc causis ob quas sa. me. decessor ejus Pius PP. VIII, decretum S. Congregationis de Propag. Fide approbans die 26 Septembris anni 1830, annuit ut in baptismate adultorum is brevior cæremoniarum ordo adhiberi ad viginti annos posset, qui in Rituali Romano ad baptizandos pueros præscribitur, indultum hujusmodi rursus prorogare dignaretur. Precibus istis relatis ab Emo ac Revmo D. Raphaele Cardinali Fornari in generali S. Congregationis conventu habito die 30 Augusti 1852, Emi Patres censuerunt supplicandum SSmo pro indulti prorogatione ad quinquennium, atque ita ut interim Episcopi paulatim ad observantiam ritus

descripti pro adultorum baptismate in Rituali Romano accedere satagant.

Hanc vero S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Pio PP. IX ab infrascripto Secretario relatam in Audientia diei 5 Septembris, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, ratamque habuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. C. de Propag. Fide, die 26 Septembris 1852.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabò, *a Secretis.*

INDULTUM

DE SACRIS ORDINIBUS TITULO MISSIONIS CONFERENDIS.

EX AUDIENTIA SSMI HABITA DIE 3 OCTOBRIS 1852.

SSMUS Dñus Noster Pius divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, singulis Archiepiscopis et Episcopis Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis facultatem benigne concessit, a die prima Januarii 1853 ad quinquennium duraturam, promovendi titulo Missionis ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive clericos, servatis servandis circa doctrinam et pietatem, super quo Episcoporum conscientia oneratur.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die et anno quibus supra.

Al. Barnabo, *a Secretis.*

INDULTUM

DE INSTITUENDA SODALITATE PRECUM PRO CONVERSIONE ACATHOLICORUM.

Beatissime Pater,

EPISCOPI Concilii Plenarii Baltimorensis misericordia moti erga tot animas diabolica fraude deceptas, et a via veritatis errantes, censuerunt instituendam esse Sodalitatem precum pro conversione acatholicorum in Fœderatis Provinciis Americæ Septentrionalis, sperantes fore ut ex hujusmodi institutione non levia in fratres nostros errantes bona sint redundatura, maxime si Sanctitas Vestra illam approbatione sua decorare, ac infra memoratis Indulgentiis ditare dignetur.

1. Ut singulis confratribus et consororibus prædictæ Sodalitatis concedatur plenaria Indulgentia, quum rite confessi paschalem communionem receperint, qui quotidie sequentem orationem quocumque idiomate pie recitaverint: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omnibus erroribus rejectis, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

2. Item plenariam Indulgentiam in mortis articulo lucrentur, cum vere pœnitentes et confessi, SS. Eucharistiæ sacramentum susceperint; vel quatenus id facere nequiverint, SS. Jesu nomen ore vel saltem corde invocaverint.

3. Ut unusquisque confratrum et consororum Indulgentiam centum dierum lucretur, quotiescumque præfatam orationem recitaverint.

4. Ut iis Christifidelibus prædictam orationem recitare nescientibus, supra enuntiatæ Indulgentiæ concedantur, dummodo tres *Pater*, *Ave* et *Gloria*, singulis diebus devote recitent.

EX AUDIENTIA SS̃MI, DIE 5 SEPTEMBRIS 1852.

SS̃mus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. IX, referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario supra descriptas preces Episcoporum Concilii Plenarii Baltimorensis, necnon votum Em̃orum Patrum S. Congregationis, benigne in omnibus annuit juxta petita, atque Indulgentias juxta propositum tenorem in perpetuum concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Al. Barnabo, *a Secretis.*

EPISTOLA

EM̃I PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, DE EPISCOPIS PER SUBSIDIA EX PROPRIIS DIŒCESIBUS JUVANDIS, ET DE PRESBYTERIS ORDINES REGULARES INGREDIENTIBUS.

ILLM̃E ET REVM̃E DOMINE,

RELATUM est in Plenaria Synodo pertractatum quoque fuisse de ratione aliqua ineunda ut ad onera sui muneris sustinenda Episcopi juvari possint subsidiis ex propriis diœcesibus. Æquum profecto id videtur. Quum tamen multiplex proponi methodus valeat, Antistitum sententia erit exquirenda: per Metropolitanos vero facile Amplitudo tua præstare id poterit. Supervacaneum tamen haud erit innuere Præsules Canadenses superiore anno ea de re pertractasse, cum proposuerint ut vel liceret accipere tertiam partem proventuum unius parœciæ, aut duarum parœciarum in diœcesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor parœcias divideretur onus; vel decimam partem reddituum, si inter plures, aut fere omnes parœcias supradictum onus divideretur, habita ratione circumstantiarum. S. Congregatio propositionem ultimo loco exhibitam censuit potius esse amplectandam, atque ad eum scopum, SSm̃o Dño Nostro probante, in favorem Canadensium Antistitum fuit latum decretum.

Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia Episcopi, Presbyteri Missionibus addicti Ordines Regulares ingrediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penu-

riam. Dignosci etiam potuit haud vero Presbyteros titulo isthic carere, quo Ecclesiasticæ leges omnes præditos exigunt. Enimvero cum alii tituli haud facile isthic suppetere valeant, tradita fuit potestas ordinandi ad titulum Missionis; absque enim titulo promoveri nemo valet ad sacros Ordines, eoque deficiente, suspensus eo ipso ordinatus intelligitur. Recolendum est insuper in facultate concedendi titulum Missionis requiri illud etiam, ut qui eo titulo instruatur edere debeat promissionem cum juramento inserviendi perpetuo Missionibus diœceseos. Nec demum est prætereundum inter decreta Concilii sexti Baltimorensis numero tertio peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimirum proprii Episcopi veniam assequi debeant: quumque decretum illud tertium probatum cum reliquis fuerit, diligenter erit servandum. Hactenus expositis regulis rite perpensis, atque in executionem deductis, facile Episcopi ea omnia poterunt componere, quæ ad suorum Ecclesiasticorum statum pertinent: referant vero si aliis regulis editis ulterius providendum videatur.

Hæc appendicis modo Amplitudini tuæ erant significanda post ea quæ circa nuperrimæ Synodi decreta paulo antea rescripsi.

Precor Deum, etc.

Datum Romæ, ex Ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 23 Octobris 1852.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabo, *a Secretis.*

ALTERA EPISTOLA

EMI PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, UNA CUM LITTERIS APOSTOLICIS DE NOVARUM SEDIUM EPISCOPALIUM ERECTIONE, AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM MISSA.

ILLME ET REVME DOMINE,

QUOAD alteram Synodi Plenariæ partem responsio tradi antea haud potuit: necesse siquidem fuit documenta omnia Emis PP. exhibere, quæ hactenus super gravissimo negotio pervenerunt, omnibusque rite perpensis providere. Re tandem perfecta, quæ nuperrime statuta sunt Amplitudini Tuæ aperiam: siquidem delegatio Apostolica pro universo hoc negotio dudum tibi commissa fuerat. Actis ad examen revocatis, illud adnotandum occurrebat ut in iisdem Professio fidei juxta formulam a PIO IV propositam inseratur, quæ in futurum pariter ab omnibus emittenda erit, atque Actis similiter inserenda.

Ex adjectis vero Apostolicis litteris patebit SSmum Dnum Nostrum, ex voto S. Congregationis erectionem Sedium Episcopalium PORTLAND, BURLINGTON, BROOKLYN, NEWARK, ERIE, COVINGTON, QUINCY, S. FIDEI, NATCHITOCHES decrevisse: insuper Sedem Archiepiscopalem constitutam in urbe S. FRANCISCI, cui suffraganea existat Ecclesia MONTEREGENSIS; demum Vicariatum Apostolicum pro Peninsula superiori Status MICHIGAN constitutum.*

*Novæ Sedes Episcopales, de quibus hic agitur, presbyteris infra memoratis collatæ sunt, nempe: *Portland*, Adm. Rev. D. Henrico B. Coskery; *Burlington*, Adm. Rev. D. Ludovico de Goesbriand; *Brooklyn*, Adm. Rev. D. Joanni Loughlin; *Newark*, Rev. D. Jacobo R. Bayley;

Haud visa est expedire erectio novæ Sedis Episcopalis pro Wilmingtone: placuit quoque differri erectionem Vicariatus Apostolici pro Florida, atque erectionem Archiepiscopalis Sedis Bostoniensis.

Demum quod pertinet ad subsidia pro Episcopi sustentatione exhibenda, S. C. probavit quæ suggerebantur, nimirum pro nunc sufficere declarationem quoad Episcoporum jus in genere; quoad modum vero expectandas esse propositiones Conciliorum Provincialium.

Superest proinde ut Amplitudo Tua diligenter, prudenterque hæc omnia exequatur, prout cetera Delegati Apostolici pro gravissimo hoc negotio Plenariæ Synodi hactenus gessit.

Romæ, ex Ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 12 Augusti 1853.

J. Ph. Card. FRANSONI, *Præf.*

Al. Barnabo, *a Secretis.*

Covington, Rev. P. Georgio Carrell, S. J.; *Quincy*, Adm. Rev. D. Josepho Melcher; *Natchitoches*, Adm. Rev. D. Augustino Martin.

Revmus D. Michael O'Connor, a Sede *Pittsburgensi* ad novam Episcopalem Sedem *Erie;* Revmus vero D. Jacobus O. Vandevelde a Sede *Chicaginensi* ad *Natchetensem*, suo rogatu, translati sunt. Rev. autem D. Josue M. Young *Pittsburgensis* Episcopus electus est.

Revmus D. Joannes Lamy designatus est Episcopus *S. Fidei*, cujus prius erat Vicarius Apostolicus.

Revmus D. Joseph S. Alemany ad novam Sedem Archiepiscopalem *S. Francisci*, in California, translatus est ab Episcopali Sede *Montisregis*, quæ Rev. Thadæo Amat C. M. tributa est.

Demum Vicariatui Apostolico *Peninsulæ Superioris Status Michigan* præfectus est Adm. Rev. D. Fredericus Baraga.

INDEX ET ORDO RERUM.

Breve Apostolicum quo Archiepiscopus Baltimorensis Concilii præses constituitur 3
Litteræ indictionis 5
Acta Concilii 7
Decreta Concilii 43
Epistola Patrum ad Summum Pontificem 53
Decretum pro synodi confirmatione 56
Decretum quo prorogatur facultas adultos eadem ac parvulos forma baptizandi 57
Indultum de sacris ordinibus titulo missionis conferendis 58
Indultum de instituenda sodalitate precum pro conversione acatholicorum 59
Epistola Emi Præfecti Congreg. de Propag. Fide, de episcopis per subsidia ex propriis diœcesibus juvandis, et de presbyteris Ordines regulares ingredientibus 61
Altera ejusdem Epistola de novarum Sedium Episcopalium erectione 63

NOMINA

EORUM QUI AD PLENARIUM CONCILIUM CONVENERUNT.

ARCHIEPISCOPI.

Franciscus P. Kenrick, Concilii præses.
Franciscus N. Blanchet.
Petrus R. Kenrick.
Antonius Blanc.
Joannes Hughes.
Joannes B. Purcell.

EPISCOPI.

Michael Portier.
Mathias Loras.
Ricardus P. Miles.
Joannes J. Chanche.
Ricardus V. Whelan.
Petrus P. Lefevere.
Joannes M. Odin.
Michael O'Connor.
Andreas Byrne.
Joannes McCloskey.
Ignatius A. Reynolds.
Joannes M. Henni.
Joannes B. Fitzpatrick.
Amedeus Rappe.
Joannes Timon.
Martin J. Spalding.
Jacobus O. Vandevelde.
Augustinus M. A. Blanchet.
Josephus S. Alemany.
Bernardus O'Reilly.
Franciscus X. Gartland.
Joannes McGill.
Joannes Lamy.
Josephus Cretin.
Joannes B. Miege.
Joannes N. Neuman.
Amandus de Charbonnel.

SACERDOTES.

Aschwander, Josephus.
Bayley, Jacobus R.
Behan, Patritius
Boeswald, Carolus J.
Boulanger, Clemens
Burlando, Franciscus
Byrne, Joannes B.
Caron, Alexius J.

Conroy, Joannes J.
Coskery, Henricus B.

Damphoux, Edwardus L.
Dolan, Jacobus

Elder, Alexius J.
Eutropius, Maria

Ferneding, Joseph
Fitton, Jacobus
Foley, Thomas
Forbes, Joannes M.

Gallagher, Hugo P.
Gandarillas, Larain de
Garland, Eduardus F.
Goesbriand, Ludovicus de

Hafkenscheid, Bernardus J.
Hearne, Daniel
Hickey, Joannes

Jourdant, Antonius

Kindekens, Petrus

Lhomme, Franciscus
Loughlin, Joannes
Lynch, Patritius

Maller, Marianus
Malone, Sylvester
Martin, Thomas
McCaffrey, Joannes
McElroy, Joannes
Moriarty, Patritius
Mullen, Robertus
Mullon, Jacobus J.
Murphy, Wilhelmus

Obermeyer, Ludovicus
Oertler, Georgius O.
O'Regan, Antonius
O'Reilly, Wilhelmus

Pelamourgues, Antonius
Perché, Nicolaus
Peyton, Alexander J.
Plunkett, Josephus H.

Quarter, Gualterius J.
Quigley, Eduardus

Schmidt, Antonius
Sourin, Eduardus J.

Truxillo, Joannes a Jesu

Unterthiner, Wilhelmus

Verot, Augustinus

White, Carolus I.
White, Robertus A.
Wimmer, Bonifacius

Young, Josue M.

INDEX ALPHABETICUS.

A

Abbas mitratus ad privatas congregationes admittitur, 26: sed cum voto consultivo tantum, 27.

Acclamationes in fine Concilii factæ, 41.

Actis Concilii recte conscribendis præponuntur duo ex Patribus, 25.

Æditui non adhibendi, absque Ordinarii consensu, in administratione earum ecclesiarum, quarum titulus traditus est episcopo, 48.

B

Baltimorensis Archiepiscopus Concilii præses constituitur, 3.—Gratiæ illi publice, nomine Patrum, aguntur, 40.

Banna publicanda, 46—dispensatio hac in re nonnisi gravissimis de causis concedenda, *ibid.*—Casus de bannorum publicatione propositi, 32.

Baptismus. Petunt Patres ut facultas adultos eadem ac parvulos forma baptizandi, perpetua fiat, vel saltem prorogetur, 27, 49.—Hæc facultas ad quinque annos a die 26 Sept. 1852, prorogatur, simulque innuitur ut postea adulti juxta formam ipsis propriam baptizentur, 57.

Bonorum Ecclesiasticorum administrationis ratio quotannis exigenda, 47.—Laici eorum administrationi sese ingerere vetantur, *ibid.*—Pœnæ contra hujusmodi bonorum usurpatores latæ, 48.

C

Calendarii ecclesiæ Romanæ adoptandi quæstio tribus Patribus commissa, qui de ea Concilio referant, 31.

Cancellariæ in unaquaque diœcesi erectio expedire judicatur, 45.

Catechismi, tam anglica quam germanica lingua conscribendi munus quibusdam Patribus datur, 29.—Illius imprimendi privilegium exclusivum nulli bibliopolæ concedendum, 30.

Clandestinitas. Decreti Tridentini de clandestinitate publicatio in his regionibus inopportuna, 31.—Abnuunt tamen Patres S. Sedem rogare pro istius decreti obligatione tollenda in iis diœcesibus, in quibus vel certo, vel probabiliter publicatum est, 34.

Conciones ad populum quotidie, durante Concilio, haberi volunt Patres, et a quibus habitæ fuerint, 12.

Congregationes Episcoporum particulares instituuntur, qui res de quibus pertractandum erit Concilio referant, 9.

Consultores in diœceseos administratione adhibere episcopi monentur, 45.

Controversia inter Richmondensem Episcopum et sacerdotem quemdam dirimitur, 34.

D

Decreta Concilii Plenarii.—I. De primatu et suprema auctoritate Romani Pontificis.—II. De decretis septem Conciliorum Provincialium ubique in hisce Provinciis recipiendis et observandis.—III. De Rituali Romano accurate servando, et de ritibus ecclesiasticis denegandis iis quorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum, ubi adsunt cœmeteria catholica.—IV. De Manuali cæremoniarum ubique adhibendo.—V. De residentia episcoporum.—VI. De consultoribus ab episcopis adhibendis.—VII. De cancellaria in unaquaque diœcesi instituenda.—VIII. De libris precum examinandis, et ab Ordinario approbandis priusquam imprimantur—IX. De vagis et ignotis sacerdotibus caute admittendis.—X. De ecclesiasticorum districtuum limitibus designandis.—XI. De bannorum publicatione.—XII. De juventutis religiosa instructione.—XIII. De instituendis scholis.—XIV. De erigendis Seminariis ecclesiasticis.—XV. De exigenda ratione administrationis bonorum ecclesiasticorum.—XVI. De laicis a bonorum ecclesiasticorum administratione arcendis. XVII. De Ædituis non adhibendis.—XVIII. De ritibus sacris in benedictione SS. Sacramenti stricte servandis.—XIX. De tuenda religiosa libertate eorum qui militiæ vel classi adscripti sunt.—XX. De Societate ad propagandam fidem in istis Provinciis instituenda.—XXI. De sodalitate precum pro acatholicorum conversione.—XXII. De facultatibus extraordinariis circa matrimonia petendis.—XXIII. De petendo privilegio adultos eadem ac parvulos forma baptizandi.—XXIV. De matrimoniis contractis vel contrahendis coram ministris sectarum.—XXV. Quando decreta Concilii vim obligandi sint habitura, 43 *et seqq.*

Decreta Concilii plenarii Chicaginensi episcopo committuntur, qui ea ad Summum Pontificem deferat, 40.—Hæc decreta pro promulgatis habenda erunt, quando edita fuerint ex auctoritate Archiepiscopi Baltimorensis, 50.

Decreta septem Provincialium Conciliorum Baltimorensium ubique in his Provinciis obligare declarantur, 44.

Disciplina universalis paulatim in istis Provinciis restituenda, 56, *in adnotat.*

Districtus ecclesiasticos terminis circumscribere expedit, 46.

E

Episcopi per subsidia ex propriis diœcesibus juvandi, 61.—Id assequendi modus a conciliis provincialibus proponendus, 64.—Quomodo actum sit in Concilio circa episcoporum nominationem, 9.—Quinam ad novas Sedes adlecti fuerint episcopi, 63, *in adnotat.*

Epistolas quasdam, Concilii nomine, scribendi munus quibus assignatum, 11 : quæ in concilio lectæ approbantur, 37, 38.

F

Festa quædam in quibusdam diœcesibus observanda suggeruntur, 56, *in adnotat.*

Festivi dies, hortatu Gubernatoris civilis celebrandi, declarantur non adversari ulli Benedicti XIV constitutioni, 31.

L

Libertas religiosa eorum qui militiæ vel classi adscripti sunt, omni ope tuenda, 48.

Libri precum, et de religione tractantes, non imprimendi sine permissu Ordinarii locorum ubi eduntur, 46.

Ludovicopolitani Episcopi agendi ratio quoad cœmeterium quoddam Germanorum vindicatur, 36.

M

Manuale Cæremoniarum, nuper editum, ubique adhibendum. 44.—Ritus in eo præscripti pro benedictione SS. Sacramenti stricte servandi, 48.

Matrimonium. Quomodo sese gerere debeant sacerdotes erga eos qui matrimoniale fœdus coram ministris sectarum jam inierunt, vel sunt inituri, 49.—Amplas facultates super matrimoniis mixtis, et dispensationibus a quibusdam impedimentis postulant Patres, 33, 49.—Petere statuunt ut in matrimoniis mixtis, non juramentum, sed solemnis tantum promissio de servandis conditionibus exigatur, 33.—Quæstio de mulctis imponendis in dispensationum concessione, Provincialium Conciliorum judicio relinquitur, 36. Vid. *Banna, Clandestinitas.*

Montisregensis Episcopus Patres consulit quid sit faciendum circa magnam pecuniæ summam, a Mexicano Gubernio debitam, 35.

O

Officiales Concilii quinam electi fuerint, 20.

P

Presbyteri missionibus addicti, Ordines regulares ingredi nequeunt absque Episcopi sui licentia, 61.

Processiones quomodo ordinatæ, et quibus indumentis Episcopi et reliquus clerus ad eas accesserint, 13.

Professio fidei, 21.—Ab omnibus in futurum emittenda, et Actis inserenda, 63.
Pueri ab ipso pastore doctrinam christianam edocendi, 46.

Q

Quæstiones quædam circa quas Concilii opinio a S. Sede postulata est, 24.

R

Regulæ in congregationibus tam privatis quam publicis servandæ, 10.
Residentia ab episcopis servanda, eorumque absentiæ a quibus probanda, 45.
Rituale Romanum accurate servandum, 44.—Quæstio agitatur quid in proxima Ritualis editione sit mutandum, vel addendum, 31.—Sed nihil ea de re statutum, 35.

S

Sacerdotes vagi et ignoti quibus conditionibus in alias diœceses admittendi, 46.
Scholæ ad erudiendam juventutem erigendæ, quæ unicuique ecclesiæ sint annexæ, 47.
Sedes Episcopales quædam eriguntur, aliarum vero erectio differtur, 63.—Quomodo de novarum Sedium erectione, et Episcoporum nominatione, actum fuerit in Concilio, 9.
Seminaria ecclesiastica. Unum saltem in unaquaque Provincia erigendum, 47.—Studiorum curriculum pro eis describendi munus tribus Patribus demandatur, 37.
Sepultura ecclesiastica deneganda iis quorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum, vel profanis, quando adsunt cœmeteria catholica, 44.
Societas ad propagandam fidem in his Provinciis extendenda, 48.—Societatem ad catholicas scholas sustentandas, alteramque ad jura fidelium tuenda, instituere abnuunt Patres, 37.
Societas juventuti catholicæ amica laudatur, 13.
Sodalitas precum pro acatholicorum conversione instituitur, 49, 59.
Superioribus Ordinum et Congregationum religiosarum competit jus nonnisi consultivum in congregationibus publicis, 26.

T

Titulus ad sacros ordines adeo necessarius, ut, eo deficiente, ordinatus eo ipso suspensus intelligatur, 62.—Potestas ordinandi ad titulum missionis in his Provinciis ad quinquennium a die 1 Januarii 1853 conceditur, 58.

V

Vincennensis Episcopus propter legitimas causas a Concilio absens, 8.

EXPLICIT INDEX.